DISSERTATIONEM HISTORICO-MORALEM *De* VIVISEPULTURA,

Incluti Senatûs Philoſophici
Conſenſu,
SUB MODERAMINE
DN.
L. JOHANNIS SCHMIDII,
P.P. & Collegii B. Mariæ Virginis
Præpoſiti,
*Præceptoris ſui omni obſervantiæ cultu
ætatem devenerandi,*

publicæ Eruditorum cenſuræ
ſubmittit
GOTTOFR. CHRISTIANUS GÖTZE,
Lipſienſis,
AUTOR-RESPONDENS,
ad d. VIII. Martii, A. O. R. CIϽ IϽC XCIII.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.

AUSPICE JESU!

UTi demortuorum cadavera pacatis terræ umbris condere mos fuit omnis ævi gentibus usitatissimus; ita spirante adhuc corpore in ejusdem fauces detrudi res non modò rara, sed & formidolosa nunquam non extitit. Cum enim natura eum in modum nos effinxerit, ut vel ad recordationem mortis ingenti pavore perculsi reformidemus inamœna sepulchrorum receptacula, quippe ubi nulla voluptas, sensusque deliciarum nullus: quidni aversabimur vivum sanguinem & vegetos artus putidis antris immittere? Recusabat olim *(a)* Nero ab urbe profugus, quem tamen hinc infesta civium sica, illinc armatus legionum furor perditum cupiebat, in latibulo sese vitæ modò servandæ causâ ad aliquod tempus occultare: Negabat Phaonti *(b)* specum egestæ arenæ monstranti vivum se sub terram iturum. Adeò scil. displicuit momentanea saltem sub terra commoratio homini, qui superba palatia & villas ad omnem luxum instructas inhabitare consueverat. Multò igitur magis trepidabimus adhuc incolumes in angustas humi cavernas nos recipere, ut miserabili ibidem morte consumamur. Et profectò abundè istud comprobat, quod in vernacula lingua vulgò circumfertur proverbium: Ich wolte mich lieber lebendig begraben lassen/ ehe ich dieses thäte oder zugäbe. Eo ipso enim nihil indigitatur aliud, quam quod inter varia lethi genera vix ullum reperiatur atrocius vivi hominis infossione. Ast nihilominus fuerunt non pauci, quos integro corpore gaudentes vel ex proprio animi impetu, subterraneis locis se immersisse, vel ab aliis eò delatos fuisse fides historiarum meminit. Cum ergò defunctorum sepultura digna res *Gyraldo, Kirchmanno, Quenstedio,* aliisque non obscuræ famæ viris visa sit, ut in illa sollicitè describenda omne studium contulerint, non ingratum quoque futurum existimavi laborem, si Vivorum sepulturam novo molimi-

ne in apricum protraherem. Conſtitui enim illam, in quantum mihi circa hoc argumentum occupato è probatis Scriptorum monumentis colligere licuit, brevibus exponere, & pro ingenii modulo ſub morale ſcrutinium revocare, ut quid liciti, quidve illiciti contineat, cuivis primo obtutu innoteſcat, meliori ſpe adductus, fore ut æqui juvenilium lucubrationem æſtimatores, hoc quicquid eſt conaminis philoſophici non penitus ſint averſaturi. Faxit autem Deus O. M. feliciter!

(*a*) vid. SUETON. *in ejus Vit. c. 48.* (*b*) In hanc tamen illum poſtea deſcendiſſe mutatâ ſententiâ, ſequentia evincunt, unde poſteriori ævo audiit Ciſterna Neronis. Ita enim RADEVICUS *de geſtis Friderici I. II. 66: Nono die deſcendentes trans Tiberim, eo die & altero commorantes, undecimo exierunt & pervenerunt ad Ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes.*

CAPUT I.

De Viviſepulturæ Homonymia & Diviſione.

§. I.

VAriis omnino modis vivos homines ſepultos paſſim dici Scriptoribus, cum illos quapiam re captos obrutosq; quaſi exprimere voluerunt, ſedula ipſorum lectio ſatis ſuperque inculcat; ut adeo hanc ob vocis ambiguitatem neceſſe arbitrer, in removendis ejusmodi obſtaculis aliquam operam inſumere, quo mihi ad ſcopum eò feliciori progreſſu devenire liceat. Nam (I.) ſummè vitioſum hominem non veremur *flagitiis ſepultum* nominare, exemplum ſcil. præclarisſimi Eccleſiæ (*c*) Patris ſequentes.

(*c*) Sic *Mediolanenſis Præſul. l. 2. de Cain & Abel c. 9.* in improbos detonat: *Impii etiamſi videantur vivere, miſeriores tamen ſunt omnibus mortuis, carnem ſuam ſicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam ſuam: quid enim aliud eſt quam ſepulta, quæ intra humum volvitur, & terrenæ avaritiæ cupiditatibus cæterisque vitiis includitur, ut gratiæ cœleſtis auram ſpirare non poſſit?*

§. II.

Imò & (II.) Ebrioſi, quos immoderata potûs ingurgitatio ad omnia munia peragenda ineptos reddidit, animæque præſtantisſimis facultatibus orbatos (*d*) mortuis asſimilavit, *Luxuriâ crapulâq; ſepulti* (*e*) Virgilio, (*f*) Senecæ, (*g*) Auguſtino & (*h*) Chryſoſtomo jure ſanè optimo nominantur.

(*d*) Le-

(*d*) Lepidum ejus rei exemplum citat ENGELGRAVE *in Luce Evangelica p. I. Emblem. 43. §. 2. p. 390, 391. ex Angelini Gazæi piis Hilaribus*: Mulier enim Belgica luxuriosum maritum ad saniorem vitam reductura, illum aliquando merô oneratum ligatis manibus linteô sepulchrali in mortui speciem obvolvit, inque terra super stramen, accensis cereis, posuit. Tùm concitâ omni viciniâ in lamenta & muliebres ejulatus prorumpens tanquam mortuum deflet. Quibus ille collachrymationibus experrectus tandem, ubi se tali situ inter quatuor cereos & adstantem flentium turbam conspexit, totus contremuit, & vinculis se expedire conatus fuit. Uxor exclamat, rogat: Num viveret adhuc? Is, utique respondet, & ex Orci faucibus reducem se sentire ait, simulque suppliciter petit, ut isto amictu liberaretur. Annuit ejus petitis fœminarum vaferrima, ac insigne gaudium præ se ferens ipsi persvadet, quod revera fuisset mortuus & postridie tumulandus. Maritus hoc stratagemate delusus, nunquam se cellas vinarias frequentaturum posthac sanctè vovit, votumque per omnem vitam servasse dicitur. (*e*) de Polyphemo *l. 3. Æneid. v. 630. Nam simul expletus dapibus vinoq; sepultus.* (*f*) *Pacuvius, Tiberii Cæsaris Procurator in Syria, cum vino & illis funereis epulis sibi parentaverat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: Vixit, vixit, Nullo non se die extulit. Epistol. 12.* (*g*) Dicere enim is consuevit: Ebrietas est quædam vivi hominis sepultura. (*h*) *Homil. 28. in Matth. Certè*, inquit, *si posses animam hominis peccatis (gulæ & ebrietatis) involutam oculis cernere, non dubitares multò melius in sepulchro jacere vivum corpus, quàm jacere animam in vivo corpore ebrietate sepultam.*

§. III.

Quin etiam illi, qui (III.) sub *Vacunæ signis militantes* ignobilem vitam otiosè traducunt, Vivisepultorum elogium merebuntur. Aliis enim ex præscripto divino strenuè studiis suis proximo inservientibus, hi è contrario porcinâ ignaviâ languentes intra divitiarum cumulos tanquam in (*i*) sepulchro delitescunt. Quibus & (IV.) à gravi (*k*) *somno oppressos* rectè annumerare possis, quandoquidem & hos negotiis gerendis ineineptos esse apparet.

(*i*) Præclarè SENECA hac de re judicat, ad Lucilium de Servilio Vatia sordidissimo homine *Epist. 55.* scribens: *In hac (villa) ille prætorius dives, nullâ aliâ re quàm otio notus consenuit, & ob hoc unum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia Asinii Galli, quoties Sejani odium, deinde amor merserat, (æquè enim offendisse illum quàm amasse, periculosum fuit.) Exclamabant homines: O Vatia, solus scis vivere: at ille latere sciebat, non vivere. Multum autem interest, utrum vita tua otiosa sit, an ignava. Nunquam aliter hanc Villam Vatiâ vivô præteribam, quàm ut dicerem: VATIA HIC SITUS EST.* (*k*) VIRGILIUS *l. 2. Æneid. vers. 265.* de Troja: *Invadunt urbem somnô vinoq; sepultam.* Sic eidem Poëtæ *l. 9. Æneid. v. 236.* excubitores Trojani dicuntur *somno vinoq; sepulti.* Huc refer, quod de septem illis Decio imperante antrum ingressis,

 gressis,

gressis, ibidemque 296 annos somno indulgentibus, sed fabulosè, narratur. De quibus ut & aliis similis farinæ dormitatoribus consule SPANHEM. *Introd. ad Hist. N. T. seculo III. p. 349.* & *B.* MITTERNACHTIUM *in Dissertat. de Johanne c. 21. v. 22. Diss. 8. p. 174.*

§. IV.

Verùm omnes hujus generis improprias Vivisepulturæ significationes ab instituto nostro abesse volumus. Neque illos hic loci contemplabimus, qui vel (*l*) vitæ solitariæ amore, vel (*m*) ægritudine mentis, vel (*n*) metu, vel (*o*) dolo, vel (*p*) superstitione inducti sepulchris aut aliis subterraneis latibulis sese abdiderunt humana consortia tergiversantes.

(*l*) Ita Democritus in sepulcris noctes atq; dies est commoratus testante LAERTIO *in ejus vita* & LUCIANO *in Philospeude.* (*m*) XIPHILINUS in vita Vespasiani meminit Julium Sabinum præ nimio ob amissam victoriam dolore subterranea loca unà cum uxore subiisse, & inibi novennium delitescentem duos liberos suscepisse. Cui affine est exemplum Pythii, *qui impar dolori, quô cum miserè ob immanem filii necem à Xerxe factam conflictabatur, cum paulo molliori animo foret, nec satis adesset roboris ad vindicandas injurias; in monumentum se conjecit, quod ipse in tumuli vertice excitarat. Atque inibi flebiliter, quod supererat vitæ, complevit, submittente illi diebus singulis cocta cibaria uxore, cui principatus moderamina per manus tradiderat.* CÆL. RHODIG. *Antiqv. Lection. l. 19. c. 18.* (*n*) Christianos primitivæ Ecclesiæ, ut ab immani Tyrannorum cæde sese liberarent, cryptas incoluisse notum nimis est, quàm ut superfluis testimoniis comprobetur. Cajum enim Episcopum Romanum, cum Diocletiani persecutionem fugeret, novem annos in cryptis habitasse ex ALBERTI STADENSIS *Chron. p. 26.* discimus. (*o*) Olim, cum sepulchra juxta vias fuerint constructa, dabatur flagitiosis hominibus occasio ut illa inhabitarent, & prætereuntium vitæ ac bonis nefarias insidias struerent. Adeoque ista inhabitatio à legibus fuit coercita. *l. 3. pr. §. 6. & 11. ff. de Sepulch. viol.* (*p*) Hujus rei exemplum refert THEVENOTIUS in suo *Itiner. part. 2. l. 2. c. 13. p. 159.* Persæ, inquit, anniversariis solennitatibus, quibus luctui ob Hossaini cædem indulgent, zelum suum ridiculis modis, inprimis plebeji, exprimere satagunt. Quidam enim in terram se defodi curant solo capite adhuc eminente, quod ollâ humo repletâ insuper operiunt, in eo statu per totum diem permanentes. In littore Coromandalino quoque Ethnici mense Januario festum celebrant, quo ante solis ortum, inprimis illi, qui votum nuncuparunt, terræ infodiuntur, capite tamen prominente, quod gemmis ac floribus ornatum conspicitur. Nonnullis autem caput duntaxat terrâ operiunt reliquâ corporis parte liberâ. ROGER. Eröffn. Thür zum Heydenth. p. 853.

§. V.

Neque huc trahendi veniunt, qui seu ad (*q*) castitatem conservandam, seu ad (*r*) devotionem majorem excitandam, seu ad (*s*) pœnitentiam

tiam peragendam, ſeu ad (*t*) ſanitatem confirmandam in terræ gremium ſe conjiciunt, quippe qui pariter cum prioribus ſpontaneâ tantum ibidem commoratione delectantur.

(*q*) Sic Alexandra generoſa virgo, à Juvene plus vice ſimplici ad ſtuprum ſollicitata, ne amaſium læderet, nec ipſa ſe pollueret, virgineum pudorem ſepulchro clauſit, rata hunc theſaurum nullibi melius quam inter mortuorum cadavera conſervari, è quibus ſc. nulla libidinis flamma prorumpit. Sic duodecim integros annos ſumtô per foramen alimentô traduxit & cum mortem imminere cerneret, corpuſculô ad honeſtatem compoſitô ſimilis dormienti conquievit. HILDEBRAND *in arte benè moriendi cap. 2. §. 16.* (*r*) Sic Monachi Græci Kiiovienſes privatæ devotionis gratia cryptis ita ſe includere, ut vix rima cibo, potui aliisque neceſſariis ſubminiſtrandis pateat, tradit HERBINIUS *in Tractatu de cryptis Kiiovienſibus p. 84.* (*s*) Eſt quædam in India Religioſorum ſecta, qui vitæ ſanctimonia & paupertate clari communi nomine Faquiri appellantur. Horum nonnulli quotannis pœnitentiæ vacare cupientes ſæpius in ſpecum ſubterraneam ſeſe recipiunt, in quem nullus luci, niſi per exiguum aliquod foramen, aditus. Morantur ibi ſine omni victu novem aut decem dies, prout quidem pietatis ſtimulus ipſos agitat, id quod ſe vidiſſe teſtatur TAVERNIER *in Itin. part. 2. l. 3. c. 6.* (*t*) Conſtantinopoli prope Seraglium conſpicitur aqua ſcaturiens, quorſum Græci die Transfigurationis Chriſti ægrotos ſuos deportant, & in arena circumjacente collotenus infoſſis fontem propinant, credentes hoc ipſo morbos curari. THEVENOT. *Itinerar. part. 1. l. 1. c. 18. p. 32.*

§. VI.

Neque in propriè Viviſepultorum claſſem numerabimus eos, quibus ex (*u*) aſtutia ſingulari funeralia facta ſunt, vel qui eadem ſibi habeti (*x*) mortalitatis recolendæ cauſa, curaverunt; cum tale inſtitutum ſolùm pompam funebrem vivo celebratam, non verò vivi humationem dici poſſe, quivis facilè perſpiciat.

(*u*) Hujusmodi exequias Brunſvicenſis Dux Henricus Evæ Trottiæ, cum furtivis ejusdem amoribus arderet, in arce Stauffenburgenſi fieri juſſit. Vid. SLEIDAN. *de Statu Relig. & Reipubl.* l. 15. p. m. 442. ſeq. Non diſſimile tradunt exemplum *Les Memoires de Monſieur L. C. D. R.* p. 695. ſeqq. de virgine quadam Gallica ſtuprum paſſa, quam parentes, ne dedecori eſſet toti familiæ, in Americam miſerunt, & ad occultandum facinus ipſi funebria, quaſi è vita deceſſiſſet, omnibus ſolemnibus adhibitis, fieri curaverunt. (*x*) Ita Imperatorem Carolum V. mundo valedicentem vivum ſibi ipſi juſta celebraſſe novimus. FAMIANUS STRADA *l. 1. bell. Belg. p. 13.* Et ante hunc Heinricus II. Epiſcopus Ratisponenſis, è familia Comitum Abenſpergenſium ultimus de Rotenec, qui circa annum 1296. claruit, quatuordecim annos ante ſuum obitum funus ſibi vivo cum omni pompa conſueta quotannis paravit, autore RADERO *Bavar. Sanct. Vol. 2. p. 318.* quod facinus tamen ipſe improbat, mox ſubjungens;

Sed

Sed hoc de funebribus sibi ipsi vivo ac superstiti institutis factum, & quod sibi ipsi viventi videntiq; parentavit, Theologorum placitis parum respondet, qui mirandum, sed non imitandum pronunciant exemplum, & abolendum, sicubi ut fertur, invaluit, quod contra Ecclesiæ mentem & morem fiat.

§. VII.

Nec tandem sermo nobis erit de iis, quos inopina (*y*) turris vel ædificii ruina, aut violentus (*z*) terræ motus ita perdidit, ut vivi sub funestis istis ruderibus sepulturam invenerint. Luce enim meridiana patere clarius arbitror, quod ejusmodi casus, utpote fortuitus, sub disquisitionem moralem cadere nullatenus queat. Hisce ita præmonitis ad scopum mihi præfixum deproperabo.

(*y*) Sicuti Turris Siloha octodecim oppressit, *Luc. 13. v. 4.* (*z*) Inter alia quamplurima exempla illud nobilissimum extat, dum Plurium opulentissimus Rhetorum vicus anno 1618. ingenti montis casu cum omnibus incolis contectus fuit. v. *Theatr. Europ.* T. I. p. 97. Et quem latent funesta damna, quibus Calabriam & Siciliam nuper afflictam esse Novellæ nunciarunt?

§. IIX.

Hanc sc. Vivisepulturam in præsenti pro viribus pervestigare institui, quæ vel ex *Errore*, vel ex *Affectus excessu*, vel ex *imminentis mortis Certitudine*, vel ex *Religione*, vel ex *Vindicta* proficiscitur, dum nimirum viventes vel toti, vel quoad maximam corporis partem in terram ab aliis absconduntur, aut sua sponte illam subeunt, ita ut vel extingui potuerint, nisi fortè auxilium supervenisset, vel etiam actu decesserint. Singulas species ordine nunc persequar.

CAPUT II.

De Vivisepultura ex Errore.

§. I.

Cum nimia præ dominantis morbi vis homines sæpe numero, omni sensu motuque despoliatos, exanimis corporibus prorsus consimiles efficiat, accidit interdum, ut incautiores festinatâ sepulturâ illos præsente adhuc animâ terræ mandent, ubi postmodum reviviscentes quidem, sed vel ob tymbæ spissitudinem, vel ob coemeteriorum distantiam auxiliô destituti, frustra ingeminatô clamore, tristissimum mortis genus oppetunt.

§. II.

Comprobant illud miserabili suô fatô ex antiquioribus (*a*) Johannes Duns Scotus Doctorum subtilissimus (*b*) Geron Antistes Coloniensis, & (*c*) Anconitanus quidam, ut & (*d*) duæ fœminæ; è recentioribus verò exemplum præbet (*e*) militum non nemo stipendia Sereniss. Electoris Brandenburgici merens, quibus singulis solus error lethali nocumento fuit.

(*a*) Hic enim cum epilepsiâ, ipsi familiari morbo, tanta cum vehementia invaderetur peregre absentibus discipulis, ut nullum vitæ signum præberet amplius, domestici ejus rei ignari pro mortuo ipsum habentes nimis festinanter extulerunt. Finito paroxysmo sese recolligens cistam quidem feralem pulsavit, sed audientes animam defuncti vel spectrum esse putarunt. Adventantibus autem postridie discipulis, & quid cum præceptore gestum esset, cognoscentibus, sepulchrum aperitur, ubi Scotus contuso misere cranio invenitur. V. PHIL. SALMUTHI *Obs. Medic. 95. Cent. 2.* Incidit verò ejus obitus in annum 1308. qui Coloniæ Agrippinæ in templo Minorum Conventualium in epitaphio sequentes versus exhibente describitur:

Ante oculos Saxum Doctorem comprimit ingens,
Cujus ad interitum sacra Minerva gemit.
Siste gradum lector, fulvo dabis oscula saxo,
Corpus Joannis hæc tenet urna Scoti.
Anno milleno ter CCC cumque adderet octo,
Postremum clausit letho agitante diem.

Quod epitaphium legas apud SVVERTIUM *in select. Christ. orb. Delitiis. p. 597.* apud quem adhuc duo alia consignata deprehenduntur. Ob mirandum ingenii acumen Doctor subtilis audiit, & peculiari Sectæ nomen dedit; illumque ordinis Minorum gaudentium fuisse scribit OPMEERUS *in Orbis Universi Opere Chronol. p. 386.* qui etiam hosce Vitalis Poëtæ versus habet:

Quod nulli unquam homini accidit, Viator,
Hic Scotus jaceo, semel sepultus,
Et bis mortuus, omnibus Sophistis
Argutus magis atque captiosus.

Cæterum diversum hunc fuisse ab alio Johanne Scoto, quem *Crinitus* ex Gallicis annalibus refert à conjuratis discipulis, D. Cassiani exemplo, graphiis confossum inulta morte periisse, autor est JOVIUS *in Elogiis virorum literis illustr. p. m. 9.* qui præter Vitalis versus sequens Latomi epigramma adducit:

Quæcunque humani fuerant, jurisque sacrati,
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili ludificante strophâ.
Cum non ante virum vitâ jugularet ademtâ,
Quam vivus tumulo conditus ille foret.

(*b*) Is

(*b*) Is à ſicariis vulneratus, vivus etiamnum ſepulcro conditus eſt à Valramo ſucceſſore, qui cum aperto monumento eundem reperiſſet in alterum latus ſe convertiſſe, pœnitentiâ ductus Romam expiando crimini profectus eſt narrante ALBERTO CRANZIO *Metropol. l. 3. c. 45.* (*c*) De hoc HORATIUS AUGENIUS *Epiſtol. Medicinal. Tom. 3. l. 11. Ep. 40. p. 434.* diſſerit: *In urbe Roma vidi Anconitanum patricium ſepultum in Eccleſia D. Mariæ populi, quem non verè mortuum noverunt omnes, octavo die poſtquam ſepultus fuit. Nam aperto ſepulcro ut alium ibidem reponerent, inventus eſt miſer ſedere, & manus liberas ad ſuos habere crines. Conſimilem caſum vidi Fabriani. Sed quid dico me vidiſſe? cum id veriſſimum eſſe conſtet communi omnium hominum fide, plenaque ſint hiſce exemplis omnia.* (*d*) Alterius meminit ALEX. BENEDICT. *de peſte c. 1. Una ex magnis matronis mortua viſa paulo poſt ſepulta eſt, quæ tamen ſedens & emota loco inter cadavera revixerat, evulſæ comæ dilaniatumque ungue pectus majori indicio fuere. Heu quoties viva inter mortuos nequicquam ſuperos invocavit. Non eſt propterea facile inter tam periculoſa & ingentia mala non deſipere.* Alterius v. RUMLER. *Obſ. Med. 62. Quædam matrona Apoplectica peſtis tempore elata in camerato tumulo ſeponitur. Hæc aliquot poſt annis elapſis ad ſcalas reperta eſt, unde non mortua, ſed ad ſe rediiſſe fuit credita.* (*e*) Cum enim ille anno 1679. Stetini Pomeraniæ potu ſoporifero exhauſto mortui ſpeciem præbuiſſet, continuò in ſepulcrum illatus eſt. Expergefactus a. horrendum in modum clamavit, & ſarcophagum fortiter concuſſit. Paſtor Eccleſiæ in vicinia forte habitans exaudito tumultu terram removeri & arcam aperiri juſſit. Tum ilium vix ſpiritum ducentem & in multo cruore poſitum, quippe qui crebris pulſationibus cranium & manus valde alliſerat, conſpexerunt, ſed protinus miſer animam efflavit. Et hæc ex Novellis recenſet FRANCISCI *in lib. cui Titulus* Ehre der Verblichenen. *p. 115.*

§. III.

Meliora multò fata obtigerunt (*f*) fœminis nonnullis, & decantato illi Gallo (*g*) Julio Civili, qui equidem apparenter mortui ex inſigni errore in tumulum illati fuere, ſed inopino caſu orci faucibus erepti recuperatis viribus ſuos reſalutarunt.

(*f*) Cum anno 1357. peſtis furor Colonienſes infeſtaret, accidit ut nobilis quædam matrona, Reichmuth Adolch nomine, illâ quoque correpta, ſupremum (ſecundum opinionem aſtantium) diem obiret. Itaque annulo pronubo aliisque pretioſis ornata loculo includitur atque inhumatur. Quod ubi avari veſpillones advertiſſent, inſequenti nocte ſepulchrum accedunt aperiuntque. Tum illa, quam pro mortua ſepulturæ tradiderant, ſe erigere cœpit. Veſpillones ambo maximo timore perculſi lucernam relinqunt, eaque qua poſſunt diligentia inde profugiunt. Illa acceptâ lucernâ ædes mariti petit, pulſat fores, ex voce & annulo à marito recognita intromittur, & poſteà non modo convaluit, ſed etiam tres filios pro genuit. GVILL. FABRIC. HILDAN. *Centur. 2. Obſerv. 95. Exempl. 2.* Altera hiſtoria Labaci anno 1545. contigit, ubi fœmina quæ-

quædam cui nomen Margaritæ Sideriæ, apoplexiâ tacta festinato funere elata fuit, at idem cum priori fatum experta domum repetiit. FRANCISCI *l. c. p. 112.* Tertium exemplum nobis suppeditat HILDANUS *l. c. Obs. 96. Histor. 1.* ubi Divioduni in Burgundia quædam nomine Madame Nicole Lentillet ex contagii sævitia obiisse credita cum aliis corporibus demortuis in tumulo sepulta fuit, ibidemque per aliquod tempus jacens nequicquam clamore suo profecit, tandem à vespillonibus isthuc forte remeantibus opem accepit, qui ipsam domum reportarunt, ubi pristinam valetudinem reparavit. (*o*) Alias dicto Monsieur de Civille qui in obsessa urbe Rothomagensi anno 1562. Centurionis partes agens graviter vulneratus exanimi speciem præbuit, terrâ itaque vivus obrutus tamdiu ibi jacuit, donec superveniens famulus ipsum effodit, & exigua vitæ indicia adhuc deprehendens medicis curandum tradidit, quorum ope sanitati postea restitutus fuit. THUANUS *l. 33. Historiar.* & GOULART *Thresor d' Histoires admirables deux. Vol. p. 663. seqq.*

§. IV.

Scilicet in (*h*) peste, (*i*) apoplexia, (*k*) syncope, (*l*) suffocatione uteri, aliisque violentis (*m*) symptomatibus haud rarò contingere solet, ut iis affecti, omnem ad sensum calorem, (*n*) motum ac (*o*) respirationem amittant, debilem tamen adhuc vitam reservent, quo ipso insciis & parùm cautis adeò imponitur, ut illos defunctos (*p*) falsò sibi persuadeant, atque idcircò efferendos pronuncient.

(*h*) Sive enim hanc ex communiori hypothesi cordis ac sanguinis; s. secundum Recentiorum nonnullorum v. g. *Hodges de peste Londin.* mentem, cerebri ac spirituum animalium affectum pronuncies: vel sub priore per modum syncopes pertinacioris; vel sub posteriore instar apoplexiæ fortioris imponere ac mortem mentiri potest. Quod cùm ex allegatis duobus lit. f. exemplis, tùm ex iis quæ SCHENKIUS *l. 6. Obs. Medicin. de peste p. 794.* adducit, satis manifestatur. Quibus jungi meretur notata dignissima historia, quam recenset GEORG. NYMMAN. *de Apoplexia p. 180. 181. Sic quoque Caspar Hildelinus Scholæ Lindaviensis moderator, pestis tempore pro mortuo elatus, unius sub porta crepitus ventris emissione, vivus etiamnum deprehensus domumque relatus aliquandiu supervixit.* RUMLER. *Obs. Med. 67.* (*i*) ZACUTUS *Lusit. in Oper. T. 1. p. 65.* de Piscatore apoplexia correpto meminit, eum, cum ad sepulturam deferretur tanquam mortuus, subito ad se rediisse. Similem narrat historiam AMATUS LUSITANUS *Cent. 4. Curat. 23. Nunc, inquit, memoriæ occurrit, olim apud Ferrarienses puellam quandam apoplexia detentam fuisse, & ab omnibus Medicis pro mortua habitam. Cæterum cum mater puellam summoperè amaret, eam non ita facile sepeliri permisit, & eò magis quia ab aliis perceperat, quod qui subito & repente gravioribus iis morbis corripiuntur & pro mortuis habentur, non facile sint clero committendi. Demùm mater puellam per triduum apud se contra omnium opinionem detineri fecit, & tertio die puella quasi ab inferis sublevata revixit, & hodie adhuc, ut audio, pulcherrimè vivit.* Causa hujus

rei est in promptu: Cum enim in istius morbi extremo gradu inprimis principia nervorum à Cerebro per universum corpus dispersorum obstruantur, spiritibusque animalibus liber transitus denegetur, utique omnis functio corporis organici cessare, musculorum motus impediri, sanguinisque circulatio sisti debet, & sic homo mortui ad instar corruit, necessario spirituum influxu destitutus. Quodsi ergò talem in vitam redire contingat, illud fit, non propter calorem vitalem in corpore denuo resuscitatum, (utpote qui nondum penitus disperierat) sed quatenus materia morbifica ex cerebro & cerebello discussa, & motu Spirituum animalium antea cessante eorumque influxu penitus restitutô, hinc ad cor quoque solitæ contracturæ pulsificæ redeunt. (*k*) Quando nimirum eo usque processit, ut omni sensu motuque hominem penitus privet; Friget enim tunc & pallet corpus, ac pulsus arteriarum cessat. Quemadmodum HILDANUS *Obs. Chirurg. 96. Cent. 2. histor. 2. & 5.* de duobus syncope-oppressis refert ob fictam mortem mox sepeliendis. (*l*) Oppido familiaris est fœminis, & tam funesto cum effectu conjuncta, ut omnes functiones vitales confestim destructum eat. Diversorum quidem Symptomatum videtur concursus esse, frequentissima tamen atque essentialis ferè observatur faucium constrictio, pectoris compressio, & ab utraque insigniter turbata respiratio s. præfocatio, (unde etiam nomen sortitur) ut non tantum cum difficultate, sed omnimodo non respirare cernantur. Talem casum hic in patria contigisse meminit *Celeberr.* SALMUTH. *Observ. Med. 86. Cent. 2. Lipsiæ*, inquit, *honesta quædam matrona strangulationis deliquio correpta pro mortua habetur. Destinatur igitur sepulturæ, & ad eam pro more ornatur. Secedunt hinc paululum adstantes, ac prandent. Interea illa sese recolligens è sarcophago surgit & prandentes adit. Hi spectrum putantes, summo terrore perculsi, hinc inde cursitant. Hæc verò clamat: quid curritis? quo fugitis? an me non nostis? Neque ab ejusmodi clamore desistit, donec verè illam ipsam esse deprehendant.* Imo in Hispania ejusmodi mulier hysterica, quæ mortua credebatur, cultro Anatomico subjecta fuit, quæ ad secundam adactæ novaculæ impressionem derepente ad se rediit & superstitis vitæ signa clamore dedit. Ita factum est, ut quam vis morbi enecare non potuit, inexpiabilis Medici error occideret, qui etiam præ nimio pudore ac mœstitia confectus animam expiravit. PAREUS *l. 23. c. 46.* Plura curioso lectori suppeditabit SCHENCKIUS *l. c. de Uteri suffocatione p. 640.* (*m*) De quibus consuli potest. ZACCHIAS *in Quæst. Med. Legal. T. 1. l. 4. Tit. 1. quæst. 11. n. 30. seqq.* Cæterum non indignum quoque notatu est, quoad DIOMED. CORNARUS *histor. admir. 1. & 2.* de duobus furibus consignavit, qui suspensi & Anatomicæ sectionis Candidati omnibus stupentibus revixerunt. Et illud exemplum quod VVEPFERUS *de Apoplex. p. 181.* de Infanticida Oxonii anno 1650. ad patibulum condemnata, refert. Exinde enim assertio nostra non parum roboris sibi pollicetur. (*n*) Quia ob corruptum naturæ statum desinit Spirituum animalium in musculos impulsus. (*o*) Non ignoro contrariæ opinioni adhærentes urgere, hominem ne per momentum quidem absque respiratione vivere posse, ex autoritate sc. GALENI *l. 6. de loc.*

aff.

aff. c. 5. dicentis: Viventem non ſpirare eſt impoſſibile, cum juxta illorum opinionem à Reſpiratione dependeat Circulatio Sanguinis. Aſt non arbitror illam ad debilem vitam hoc inſtatu conſervandam neceſſario requiri. Nam eam ad tempus revera aboleri ac deficere poſſe, alii, & inprimis ex modernis SYLVIUS *Pr. l. 1. c. 22.* & MAYOVV *de Reſpirat.* non absque fundamento conſentiunt. Et hic quoque transeuntis ætheris beneficio utique aliquis motus inteſtinus Sanguinis ſed nobis inſenſibilis permanere poteſt, qui non modo ſufficiens eſt ad vitalitatem ſuſtentandam, verum etiam ad priſtinas vires remotis obicibus recuperandas. (*p*) PLUTARCHUS *de ſera Numinis Vindicta narrat*, nonneminem cum ex alto ſuper collum decidiſſet, nullo accepto vulnere ex lapſu ſaltem mortuum apparuiſſe, ac cum poſt triduum ad ſepulturam efferretur, derepente corroboratum ad ſed rediiſſe. Multa alia legi posſunt apud VALER. MAX. *l. 1. c. ult.* PLIN. *l. 7. Hiſtor. Natur. c. 52.* & HILDAN. *Obſ. Chir. 96. c. 2.*

§. V.

Non itaque erit, quod vana miraculorum gloria nos oblectet, ſi fortè ejusmodi apparenter mortuos reviviſcere cernamus, neque ad (*q*) reſurrectionem idcirco recurremus. Quoniam enim mortis probatio in difficillimis quandoque ponenda, & certius ferè ullum ejus indicium (*r*) putrefactione dari nequit, facilè reparata fortè vita reſurrectionem ignaris mentiri poterit.

(*q*) Non enim probatâ morte, quomodo probari poteſt reſurrectio? Antiquos verò nimis credulos hac in re ſeſe exhibuiſſe, ex encomiis, quibus Æſculapium ornarunt, luce meridiana clarius patet. Supra adductorum exemplorum nubes nos docet, naturali modo contigiſſe reparationem vitæ, at hi è contrario mediante divina Medici virtute animam in corpus revocatam fuiſſe ſibi imaginabantur. (*r*) Exinde enim firmiter colligere licet, motum omnium humorum per ſuos ductus ordinariè circulantium prorſus eſſe ſopitum, adeoque nullam ſpem latitantis vitæ reſtare. Hinc fœtente Lazari cadavere *Joh. XI. v. 39.* omni exceptione majus aderat ſignum ad comprobandam tanti miraculi magnitudinem illum revera obiiſſe. ZACCH. *Quæſt. Med. Leg. T. 3. Conſil. 79. n. 21.* Neque tamen abnegaverim, tum ex diuturnitate temporis, tum ex aliis morbi accidentibus de ſeparatione animæ à corpore ſtatui poſſe; interim magnam ſolicitudinem in explorandis iis nos adhibere oportebit, ne judicii præcipitantiam incurramus.

§. VI.

Ne ergo in ſepeliendis hominibus ullum committamus errorem, conſultisſimum eſt remedium, ſi illorum ſepulturam, qui ex apoplexia, ſyncope, epilepſia, ſtrangulatione uteri, & id genus aliis morbis obiiſſe videntur, per aliquod (*s*) temporis ſpatium differamus, ſollicitè (*t*) advertentes, an latitantis vitæ ſigna præbeant.

(s) Medici vulgo trium dierum seu 72. horarum tempus expectari debere volunt, antequam mortui terræ sint committendi, eò quòd omnium humorum motus intra istud spatium absolvatur, & impossibile habeatur ulterius vitam protrahere ZACCH. *l. c. T. 1. l. 4. Tit. 1. quæst. 9. n. 52. 53.* Et LEMNIUS quidem *l. 2. de occultis Natur. mirac. c. 3. p. m. 146.* rationem hanc esse statuit: quod Luna duarum & septuaginta horarum curriculo unum Zodiaci signum peragat, cujus vi humorum decursus in corporibus perficiatur. *Sed in contagiosis febribus, vel cùm peste feriuntur homines, non necesse est, nec consultum arbitror tàm anxiè ista observare, cum statim à morte serpat contagio, atque adstantibus labem inferat. Quodsi enim paulò diutius reserves insepulta cadavera, olida efficiuntur, sensimq; mephitin exhalant, ac sanie taboq; diffluunt.* LEMN. *loc. cit. p. 145.* (t) Maximè ideò laudabilis est nonnullarum Germaniæ regionum consuetudo, quando demortuis noctu & interdiu vigiles apponunt, ut si contingat fortè illos reviviscere, hi statim succurrere aut denuntiare queant.

§. VII.

Quam ob rem Romanos summoperè cautos & circumspectos sese exhibuisse accepimus, utpote qui cadavera defunctorum (u) calidâ nonmodò aquâ abluta (x) oleo inunxerunt, verùm etiam ad (y) nonum usque diem domi detenta diversis vicibus (z) conclamarunt.

(u) Eo scil. fine, ut spiritus animales sopiti aut oppressi per calorem excitarentur, & introducto novo motu corpus vivificarent. (x) Veteres corpora exanimata oleô odoro inungere solebant, quod Pollinctoris officium erat. KIRCHMAN. *de fun. Rom. l. 1. c. 9. p. m. 76.* (y) SERVIUS *ad l. VI. Æneid. v. 218. Pars calidos latices* &c. *Unde & servabantur cadavera octo diebus, & aquâ calidâ abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur.* (z) Duplex hujus conclamationis erat causa: (1.) Fiebat, ut exeuntem animam retardaret, (2.) ut adhuc in corpore latitantem expergefaceret. KIRCHM. *l. c. cap. 13. p. m. 105.* Ast à clamore prius sperari posse, mihi quidem absurdum prorsus videtur. Sive enim vita nostra dependere statuatur ab anima rationali, illa, utpote quæ est immaterialis, nequicquam movebitur aut retardabitur sonorificis undulationius, tanquam materialibus: Sive sensitivæ acceptam feramus vitam, prout nonnulli opinantur, neque sic finis iste obtinebitur. Nam cerebro & reliquorum principaliorum viscerum substantiæ affectâ ac læsâ, ita ut analysin sequi necesse sit, nihil sanè proficiet clamor, utut quam maximè intensus, cum massa sanguinea & status corporis præternaturalis exinde haud curetur. Romani quidem istud crediderunt, prout colligere est è PROPERTIO *l. IV. Eleg. 7. v. 23.*

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes,
Unum impetrassem te revocante diem.

Verùm ridiculæ credulitati potius tribuendum venit, quàm veritati. Posteriorem finem quod concernit, illos minimè ineptiisse sentio. In propatulo sunt miranda soni effecta. Eo enim ipso, quo aër externus corpus proximè ambiens per varias undulationes à fortissimo clamore excitatas, agitatur, ob contiguita-

tem

tem partium organum quoque auditus & ſpiritus animales in eo & ventriculis cerebri contentos, quos antea morbi vis penitus oppreſſerat torpidosq; effecerat, validè concuti, & vegetiorem motum in iis produci neceſſe eſt, qui ſublato obſtaculo ſanguinis circulationem in integrum reſtituunt, ut denuò per ſuos ductus liberè meare, & corpus vivifico fluore repletum ſiſtere posſit. Quodſi verò nequicquam clamoris iteratione proficerent, nulla porrò reviviſcendi ſpes ſupererat, hinc *Conclamati* ipſis dicebantur. Ita AUSONIUS *in Genethliaco ad Nepotem v. 13. ſeqq.*

Adnuito, ut reducem fatorum à fine ſenectam
Soſpes agam, feſtumq; diem dubitataq; cernam
Sidera, depoſito propè conclamatus in ævo.

Et LUCANUS *lib. 2. Pharſaliæ v. 21. ſeqq.*

- - - *ſic funere primo*
Attonitæ jacuere domus, quum corpora nondum
Conclamata jacent - - -

Sic legitur in TERENT. *Eunuch. Act. II. Scen. III. v. 56.* Jam conclamatum eſt. Ubi DONATUS: *Tranſactum ac finitum; ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia.* Alia loca afferre ſuperſedeo.

§. VIII.

Similis ſollicitudo olim tenuit *(a)* Mauritanos, aliosque *(b)* populos. Quin & in *(c)* noſtris terris, quæ Sereniſs. Saxonis imperia agnoſcunt, tempus duodecim horarum ad minimum ſtatutum, intra quod nemini conceditur ullum demortuum tumulare.

(a) De iis HORAT. AUGEN. *T. II. Epiſt. 40. lib. XI. p. 434.* ex Avicenna teſtatur: *Et propter hoc volunt, ut tardetur ſepultura ambigui ex mortuis, donec perpendatur ejus diſpoſitio, & neque ſit minus ſeptuaginta duabus horis.* *(b)* Genevæ & aliis in locis Magiſtratus neminem ſepeliri permittunt, niſi prius à perito quodam Medico ad hoc opus conducto, cadaver inſpectum exploratumque fuerit, hocce revera mortuum ſit, nec ne? vid. NYMMAN. *de Apoplex. p. 182.* *(c)* Ita proviſum in *Ordinat. Eccleſiaſt. art. gen. 15. in princ.* Da iemand von Gott durch Kranckheit und tödtlichen Abgang von dieſem Jammerthal abgefodert würde/ ſoll derſelbige nicht alſobald begraben/ beſondern zum wenigſten 12. Stunden daheim im Hauſe behalten werden/ in Betrachtung daß etliche durch geſchwinde Kranckheit oder Ohnmacht alſo ſchwach/ mattloß und verzuckt/ daß ſie vor todte Menſchen angeſehen/ und doch gleichwohl über etliche Stunden wiederumb ſich erholen/ verſtändig und lebendig werden.

§. IX.

Oſtendi hactenus contingere poſſe Viviſepulturam in natis hominibus, idem nunc demonſtrabo in infantibus, qui adhuc in uteri materni anguſtiis deliteſcunt. Cum enim *(d)* contra naturam non ſit, *(e)* mortuam partum excludere, facilè mihi quisque, ut ſpero, largietur, fidem

nos

nos adhibere posse iis, qui vel verè, vel apparenter defunctas infra (*f*) cippum peperisse nobis asseverant.

(*d*) Sanè præconceptæ opinionis error est crassissimus, putare, quod fœtus tanquam pars matris, ejus, non verò propriâ vitâ vivat. Cum enim animam ab anima genitricis numero diversam habeat, distinctasque etiam operationes ab ejusdem operationibus edat, & præterea pulsu proprio ac spiritibus animalibus à matre non mutuatis gaudeat, exinde firmiter colligere licet, vel in meridie illos cœcutire, qui soli Galeni & Hippocratis autoritati innixi fœtui propriam vitam denegare contendunt. His autem præsuppositis manifestò apparet, quod mortuâ matre, non confestim interire oporteat embryonem, sed is potius suis viribus genitalia matris, sufficienter in agone seu brevi ante laxata, si sit robustior, penetrare, & ad liberiorem auram aspirare valeat. (*e*) *Ita enim Gorgias Epirota in funere matris utero prolapsus inopinato vagitu suo lectum ferentes subsistere coëgit, novumque spectaculum patriæ præbuit, tantum non ex ipso genitricis rogo lucem & cunas assecutus. Eodem enim momento altera jam fato functa parit, alter ante elatus quàm natus est.* VALER. MAX. *l. 1. c. ult.* Memorabilia non minus sunt exempla, quæ refert Nobiliss. SALMUTH. *Obs. Med. 1. Cent. 2.* de muliere, quæ prope Halam Saxonum à Clerico interfecta gemellos enixa est. Et *Obs. 36. Retulerunt mihi,* inquit, *homines fide digni in fœmina quadam in partu extincta editum fuisse paulò post ingentem fragorem, & cum illo quoque fœtum mortuum exclusum. Sic & Nob. Tobiæ Rochæ conjux in partu horâ secundâ noctis moritur. Mediâ tertiâ pomeridianâ fœtus in lucem editur. Novi aliàs Nobilem quandam matronam, in ipso quoque partu admodum laborioso defunctam. A cujus obitu tertio die mulieres infantem, & quidem puellam mortuam in illius sinu jacentem non sine admiratione & stupore in sandapila repererunt, quæ postmodum matris brachiis inclusa terræ simul 31. Octob. Ann. 1609. mandata fuit.* Similem casum Coloniæ accidisse meminit FABRIC. HILD. *in Observ. Chir. pag. 906.* Imò narrante CORNARO *Histor. admir. 14.* mulier laqueo suffocata, cum pependisset per horas quatuor, gemellos vivos mortua peperit. (*f*) Confirmat istud modò cit. AUTOR subsequenti Historia: [*In Hispania Madriti, quadam matrona, ex familia Don Francisci Lasso oriunda, postquam per triduum in mortis agone decubuisset, existimantibus cognatis eam mortuam esse, deportata est in locum ad sepulturam destinatum, quem Græci κρύπτην appellant, ubi more solito sola relicta fuit occlusa. Post aliquot menses aperto loco repertum est hoc cadaver in eodem loco, in quem repositum fuerat, habens in dextro brachio infantem mortuum.* Neque hinc abludit, quod JOH. MATTHÆUS *in quæst. med.* de fœmina quadam in nonum mensem gravida recenset. Hæc enim supervenientibus pariendi doloribus respiratione omni manifesta privabatur, & ut exitus demum comprobavit, moriebatur. Cum autem adstantes eam fœtu non extracto in sepulchrum intulissent: en elapsis aliquot horis vagitum circa idem sepulchrum exaudiunt, accurentesq; illud illico aperiunt, inque eo matrem quidem adhuc mortuam, sed

ad

ad ejus pedes ferè devolutam filiolam vivam & optimè valentem reperiunt, quæ educata diu postmodum supervixit.

§. X.

Hinc omninò prudentis Magistratus efflagitat officium, ut prægnantes demortuas non aliter (g) sepulturæ tradi permittat, nisi per peritos artis Chirurgicæ uterus ipsis secetur, & de vita infantis cognitio instituatur. Sicuti enim receptissimâ hâc (h) methodô (i) plures bono publico servari constat, per Vivisepulturam aliàs perituros, ita quoque (k) Legibus non tantùm debita observantia exhibetur, sed etiam (l) scientiæ Anatomicæ haud leve incrementum accedit.

(g) Statim post obitum fœtui succurri debere evincit NYMMAN. *de Vita fœt. in in uter. p. 56.* (h) vid. ZACCH. *l. c. Lib. IX. Tit. 2. quæst. un. n. 26.* de modo verò procedendi SCHENCK. *Obs. Med. l. 4. p. 601. 602.* (i) Calculum adjicit nostræ Thesi BRUSCHIUS, qui citante SCHENCKIO *l. c.* scribit, Gebhardum, Othonis Comitis de Bregentz filium, qui Constantiensis Episcopus anno 1001. factus est, utero matris exectum. Non dissimilem ortum habuit Burcardus Comes de Lintzgau, Buchorn & Montfort, cui Abbatia Sangallensia anno 959. post obitum Cralonis delata fuit, quamobrem Ingeniti titulum tulit. Alia exempla tàm vetustiora quàm recentiora ut taceam, quæ ibidem legi possunt. Vid. GOULART *Thresor d' Histoires admirables Vol. 1. pag. 224.* (k) Eum in finem inprimis concepta est *l. 2. ff. de Mort. infer. Negat Lex Regia, mulierem, quæ prægnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur, qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.* Quod utilissimum sancitum uti Ethnicum, Numam sc. Romanorum Regem, autorem agnoscit, & laudandam ejus sollicitudinem satis indicat; ita multò magis Christianum Magistratum in id curas intendere oportebit, ut in prædictis casibus per exscissionem tenelli infantes ad minimum sacri baptismatis participes reddantu. Vid. NYMMAN. *de Vit. fœt. in utero p. 58, 59.* & Nobiliss. AMMANNI *Irenicum p. 60.* (l) Annotari enim hâc ratione possunt varii situs embryonis in utero, id quod scitu maximè est necessarium. FABR. HILDAN. *l. c. p. 906.* Interea ineptientis plebis calumniæ, quæ talem sectionem inhumanam, imò crudelem esse oblaterat, generoso animo contemnendæ.

§. XI.

Exhibui in præcedentibus paragraphis Vivisepulturæ, quæ ex errore contigit, exempla non pauca, exhibui quoque illam præcavendi media. Superest, ut adhuc in ejusdem moralitatem inquiram, &, num à criminis nota absolvi queat, an in eandem incurrat, qui haud verè mortuum ex errore tumulo inferri curavit, paucis dispiciam. Circa cujus quæstionis enodationem inter errorem ex ignorantia invincibili, & ex ignorantia vincibili ortum cum Moralium Doctoribus omninò distinguendum esse

 judi-

judico, atque errorem ex ignorantia invincibili commissum à culpa absolvo, ast errorem ex ignorantia vincibili prognatum crimine vacare nego. Scilicet si quis in apparenter demortuo, omni adhibitâ industriâ humanâ, nulla prorsus vitæ superstitis indicia deprehendere possit, ac per justum quoque tempus ejus sepulturam distulit, tunc ab omni crimine liber erit pronunciandus, si vel maximè nondum exanimem terræ demandari jusserit: Quodsi autem quis vel per incuriam habitum apparenter demortui morbiq; antecedentis qualitates examinare neglexit, & judicio imperitiorum exequias fortè festinantium obsecutus sit; vel spe singularis commodi effascinatus in mortis veritatem inquirere noluit, non levem culpam contrahit, si adhuc vivum sepulchro condi fecerit.

CAPUT III.

De *Vivisepultura ex Affectûs excessu.*

§. I.

Affectus legitimis inclusi terminis nihil in se turpitudinis involvunt; ast in teterrima monstra mox degenerant, si justò excedant longiùs. Sic Amor aliàs licitus pestilentissimus evadit, dum nimio ejus impulsui obtemperamus. Amici enim, Conjugis aut Parentis gladium in propria viscera sæpè adigit, si alteram partem calamitatis quidam furor abstulerit, uti ex Historicorum scriptis edocemur. Et idem ipse amoris excessus operatur, ut *(m)* Amicus in amici, & *(n)* Uxor in mariti tumulum vivo se corpore immittat, atque præpostero sanè impetu in amplexum mortis eat; siquidem nec familiaritatis vinculum, nec conjugalis nexus ullo jure hoc efflagitat, ut defunctâ unâ parte superstes se unà sepeliri patiatur, nullô exinde redundante commodô.

(m) Inauditam rem memoriæ prodidit SAXO GRAMMAT. *Histor. Danor. p.m.* 45. *Eodem tempore*, (sc. Regis Erici) inquit, *regnabat Alff in Hetmarchiâ, filium habens Asmundum. Biorno v. in VVick provincia, cui Assuitus filius erat. Accidit autem Asmundum parùm prosperè venationi intentum, dum feras aut canibus occupare, aut cassibus excipere pergeret, irruente fortè caligine avio calle fuisse divulsum, vastaq; pererrantem juga tandem equo & vestibus destitutum fungos & tubera peredisse, ad ultimum in Biornonis Regis penetralia fortuito devenisse progressu. Prater ea ipse filiusq; Regis convictu paulisper habito ad confirmandum inter se amicitia cultum omnibus conjuravere votis, quemcunque*

eorum

eorum vita prolixior excepisset, mortuo contumulandum fore. Tantus enim societatis eorum atque amicitiæ vigor extabat, ut neuter altero fatis absumpto lucem prorogare statueret &c. Inter hæc Assuitus morbo consumtus cum cane ac equo terreno mandatur antro. Cum quo Asmundus ob amicitiæ jusjurandum vivus contumulari sustinuit, cibo quo vesceretur illato. Quomodo verò ab Erico, perveniente isthuc forte cum exercitu, perfracto colle liberatus fuerit, & quæ porrò acciderint, pluribus persequitur *Aut. c.* Idem quoque Scythis olim placuisse didici ex HIERONYMO *lib. 2. contra Jovianum T. II. Oper. pag. 53. Scythæ*, scribit, *eosq, qui à defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mortuorum.* (*n*) Perversissimus iste mos in utraque India oppidò obtinuit. Etenim in littore Chormandel uxor in foveam, in qua mariti cadaver conditur, quoque descendit. Tum qui illam magna pompa comitati sunt, singuli corbem terra repletam in illam injiciunt, ita ut ad altitudinem pedis reliquam terræ superficiem superent, quô factô aggestis glebis tamdiu insiliunt, donec fœminam animam efflasse putent. TAVERNIER *in Itiner. l. 3. pag. 160.* Cui suffragatur ROGER. Eröffn. Thür zum Heydenth. *p. 857.* dum in vico Casta idem observari meminit. Et quamvis DN. THEVENOT. *Itiner. part. 3. c. ult. pag. 169.* dicat, uxores ita in specum demissas à Braminibus prius strangulari, quando aggesta terra illarum cervices æquet; & ROGER. *l. c. pag. 213.* venenum illis prius propinari asserat, quàm humo operiantur; Inde tamen non infringitur veritas supra adductæ historiæ, modò consideremus, quamlibet ferè urbem habere suos mores, certaque solemnia, ab iis, quæ vel in vicina vigent, multum discrepantia. Nec ignoratur hujus Vivisepulturæ exercitium in America apud Insulæ Hispaniolæ incolas, utpote qui uxores, quas præcipuè amavit defunctus, pretioso vestitu ornatas unà cum funere vivas defodiunt, ne scil. in altera vita mulieribus destituerentur. Dappers Beschreib. *Amer. p. 185.* Ad superiora exempla suo quodam modo referri posse videtur, quod in Italia Arimini contigit, ubi uxor quædam in agone mortis posita adulterum, quem in cista forte inclusum tenebat, ex singulari amore secum sepeliri jussit; qui etiam ignorante marito ita illatus, sed inopino casu liberatus est. Et hæc ex Historia Italiæ recenset GOULART *dans le Thresor d' Histoires admirables p. 254.*

§. II.

Neque minus opprobrium meretur, quando vel *(o)* Civis ex inordinato erga Patriam amore, vel *(p)* Servus in Domini gratiam sese in cavernas terræ injicit, spontè mortem quæsiturus.

(*o*) Exempli loco sit M. Curtius Rom. qui in specum, pestilentes halitus emittentem, insiliit, de quo vid. LIVIUS *l. 7. c. 6.* VALER. MAX. *l. 5. c. 6.* & PAUL. OROSIUS *l. 3. c. 5. Repente*, inquit posterior, *medio urbis terra dissiluit, vastoq præruptu hiantia subitò inferna patuerunt. Manebat diu ad spectaculum terroremq cunctorum patenti voragine impudens specus, nefariamq vivi hominis sepulturam Diis interpretibus expectabat. Satisfecit improbis faucibus præcipitio sui M. Curtius, vir eques armatus, injecitq crudeli terræ inopinatam satietatem*

tietatem, cui parum esset, quod ex tanta pestilentia mortuos per sepulchra susciperet, nisi etiam vivos scissa sorberet. (*p*) In Japonia enim Magnates superbas ædificiorum moles exstructuri rogantur à servis suis, ut venia ipsis muris se supponendi concedatur. Præpostera siquidem ipsos invasit opinio, nulli malo obnoxium fore talem murum & duraturum longius, cui viva caro humana sponte subjiceretur. His ergò annuentibus fundamentis sese injiciunt, & ingentia saxa corporibus superimponi patiuntur, à quibus statim comminuti pereunt. vid. Beschr. Japan *cum Not. ARNOLDI edit. Norib. 1672. p. 117.*

§. III.

Licet enim istud Curtii factum tanquam heroicum & insignis erga patriam pietatis documentum ab (*q*) Ethnicis dilaudetur, quod ex mera fortitudine ad conservationem omnium vitam suam posthabuit, & subsecutus effectus justitiam præcipitii hujus manifestavit; attamen huic asserto, quo minus adstipuler, sana ratio vetat. (*r*) Ἀυτοχειρία erat, non fortitudo contra hostem, qui armis patriam oppugnaret, exercita, dum (*s*) καθάρματος loco Curtius in abyssum istam irruebat. Jubemur quidem ad extremum usque virium Reipubl. jura atque salutem tueri, sed nullibi vitam nobismet ipsis pro Rep. eripere, aut ad privationem ejus activè concurrere fas erit. Nec in continenti sublata pestis probabit justè illum fecisse. Diabolus enim qui nihil magis quam ejusmodi propricidia amat, permissu Dei istam pestem sopivit, quo firmiùs Romanos superstitione oraculorum irretitos teneret. Ut adeò fallacia causæ non causæ committatur, si Curtii præcipitio cessationem contagii velimus attribuere. Quod verò ad Japanensium morem spectat, illius absurditas & turpitudo adeò patet, ut pluribus refelli non mereatur.

(*q*) VAL. MAX. *l. c. Nullum pietate Curtii erga patriam clarius observatur exemplum.* (*r*) Confer *Celeberr.* BECMANNI *Diss. de Pietate publica subditorum c. 3. §. 4. p. 35.* (*s*) v. URSIN. *in Analect. Sacr. n. 7. p. 40. seq.*

§. IV.

Non autem amori solùm, sed & *Odio* Vivisepulturam originem debere patescit ex facto, (*t*) Ariadnæ, quam ex infenso animo conjugem suum vivum infodisse nonnulli perhibent. Quo sanè atrocitatis crimine omnium odium illam commeruisse quis inficias ierit?

(*t*) Hac de re ZONAR. *Annal. T. 11. l. 14. p. 53.* accuratè disserit: *Ad nefanda facinora, vitamque corruptissimam* (Zeno) *deflexit, quam violentus interitus est consecutus, sed de modo illius ambigitur. Tradunt enim quidam eum gulæ & ebrietati indulgentem errore mentis affici solitum & prolapsum à mortuo nihil distitisse. Cum verò ipsi etiam Conjugi Ariadnæ invisus esset, sic inebriatum pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa conjectum, lapide maximo, qui*

pro

pro operculo esset, imposito: factumque sobrium vociferatum quidem esse lamentabiliter, sed nemine curante miserè periisse. Alii dicunt, cùm ægrotus acerbissimis doloribus urgeretur, pro mortuo habitum, & in sepulchro positum, ibique expirasse lamentantem & domesticos implorantem, cum Ariadna prohiberet, ne quis monumentum aperiret, aut quisquam illum curaret.

§. V.

Desideriis quoque suis adeo nonnullos indulsisse legimus, ut, cum viderent aliorum corpora inhumata relinqui (*u*) sepulturam in pretio habentes, seipsos tumulaverint. Ast horum quoque factum obelô notandum venit, cum sana ratio dictitet, vitæ potiorem quam Sepulturæ rationem habendum esse.

(*u*) Factum istud enarrat *Msr. de* MONTAGNE *au troisiéme livre des Essais chap. 12.* citante GOULART *dans le Thresor d' histoir. admir. p. 463.* Cum contagium devastaret regionem, in qua degebam, vidi quosdam, quibus, ne ultimi tanquam in solitudine remanerent, nihil magis cordi erat, quam sui sepultura. Cum enim viderent defunctorum corpora per campos dispersa, quæ in gratam bestiis prædam abirent, in summa felicitatis parte ipsis ponebatur humatio. Unus illorum foveam sibi efficiebat; alii sese mox viventes adhuc injiciebant; imò quidam ex meis operariis manibus pedibusque occupabatur, ut terræ glebas in se accumularet.

§. VI.

Porrô pœnæ atque ignominiæ *metus* adeò sæpè exagitavit meretrices, ut, quos modò ediderunr innocentes infantes, ne commissi flagitii testes existant, viventes (horrendum facinus!) scrobibus (*x*) effossis immiserint. Ast cum sceleris hujus immanitatem omnibus legibus bellum indicere nemo ignoret. pluribus illam demonstrare supersedeo, ne actum agere videar.

(*x*) Ejusmodi exempla *Excellentiss. Dn. D.* BOHNIUS, Patronus ac Hospes æternum devenerandus, exhibet in *Circul. Anatomico-Physiol. p. 40.* dum duas puellæ à matribus suis infossas postmodum mirando fato vivas extractas fuisse commemorat.

§. VII.

Nec defendi possunt, qui enormi rerum humanarum (*y*) *fastidio* (*z*) *impatientia*, & (*a*) *indignatione* agitati terram subeunt vitam sibi ipsis erepturi. Facilè quidem largior affectuum vehementiâ illos abreptos vivisepulturam præ vitæ calamitatibus elegisse; Attamen nullo modo hominem impetuosioribus istiusmodi animi concitationibus ita fræna laxare decet, ut cunctantia fata maturet. Non enim vitæ suæ arbiter est & Dominus, sed potius Deus, à quo illam in proximi commodum utendam accepit.

 (*y*) Ce-

(y) *Celeberr.* VARENIUS *in Descr. Japoniæ l. 3. c. 2. p. 142.* ex Froji Epist. Ind. hæc refert: *Ante 800. annos ferunt in hac urbe (Sacajo) versatum esse Bonzium quendam Cambadaxi nomine; Hunc tradunt deducere stellas à cœlo & futura prædicere solitum; inventorem etiam literarum fuisse quibus Japonii utuntur, sibique multa & magnifica templa ædificari jussisse, extremaque jam ætate subterraneum sibi effodi specum, in quem ultro se condidit, cum diceret se jam vitæ hujus satietate teneri, & in eo specu viventem velle quiescere, ad annorum decies millies millena millia, quo tempore fore, ut magnus quidam in Japone Doctor existeret, seque tum in lucem hanc esse rediturum. Eo sermone habito se intra specum obturato ostio occludi imperasse. Magnum est ejus ubique nomen & vivere etiamnum creditur, multisque se per visum offert, & ab eo plerique suppliciter opem implorant. Anniversaria verò illius diei solemnia, quo sese in specum abdidit, mirum quanta remotarum etiam notionum frequentia celebrentur, circa ipsius sepulturam lampades ardent multæ ex variis missæ provinciis.* Conf. ARNOLDI MONTANI Gesandsch. an den Käys. von Jap. *p. 254.* Cæterum Japoniis Vivisepulturam alias quoque non inusitatam esse colligo ex Peter von Horn Gesandsch. an den Käys. von Jap. *p. 12.* (z) Ejus sortis fuit *Polemon Laodicensis, qui anno (ætatis suæ) 56. obiit, cum se ipse in sepulchrum conjecisset, & inedia mortem sibi conscivisset, quod articulari morbo teneretur & cruciaretur. Quamobrem cognatis & amicis lugentibus Polemon ipsis dixisse fertur: Date mihi aliud corpus & in illud transito. Et medicis ipsum magnâ mercede* (in Gr. Textu ἐπὶ συχνῷ, & subintelligitur vel μισθῷ frequenti i. e. magna mercede, vel χρόνῳ, q. d. frequenti tempore, pro frequenter, crebrò, diutius) *dissecantibus dicebat: Quam celerrime Polemonis lapidicinas excidite. Patriam habuit Laodicæam, quæ est ad Lycum fluvium, fuitque Orator & Sophista, qui Smyrnæ docuit, Aristidis Oratoris magister, & discipulus Timocratis Philosophi, Pontici Heracleotæ, & Scopeliani Sophistæ; & floruit tempore Trajani Imperat. & post eum.* SVIDAS *part. 2. p. 553. 554.* (a) *In Labieno tanta & tam impromiscua memoratur libertas, ut libertatis nomen excederet, & quia omnes passim lacerabat, Rabies vocabatur. In hunc primum excogitata est nova pœna. Effectum enim est per inimicos, ut omnes ejus libri comburerentur. Quæ res inusitata fuit & prorsus mira, supplicium de studiis sumi. Eam contumeliam Labienus non tulit, nec superstes (ut inquit Seneca) ingenio suo esse voluit, sed in monumenta majorum suorum se ferri jussit atque ita includi: veritus (credo) ne ignis, qui nomini subjectus erat, sibi negaretur, nec tantum finivit ipse se, sed sepelivit.* v. SENEC. *l. 5. Controv. præfat. p. m. 197.* ex quo hausit COEL. RHODIGIN. *L. A. l. XI. c. 13. p. 578.*

§. IIX.

Nec denique licitam esse putemus Vivisepulturam illis, qui in seriæ Pœnitentiæ signum eam amplectuntur. Pontificii quidem Scriptores in (b) Macario suo, cui eum in finem inserviit, factum istud non improbant. Verum si perpendamus, quod iste pœnitendi modus à Deo O. M. nulli-

nullibi præscriptus legatur, & inanis quoque satisfactionis speciem sapiat, non verebimur sanè manifestæ hypocriseos sanctum nostrum condemnare. Quamvis, si libere dicendum quod sentio, isthæc de Macario narratio reliquis fabulis, quibus vitæ Sanctorum à Pontificiis descriptæ scatent, accensenda videatur.

(b) Ita enim ex ROSVVEIDI *Vitis Patrum l. 1. p. 177.* constat. Ipse a. c. 18. de se loquitur: *Macarius ego vocor in regali civitate natus & nutritus, filius viri Romani, qui inclytus fuit & in imperiali pollebat civitate.* (Alium hunc esse à Macario Palladii, cujus mentionem facit BARONIUS *in Martyrologio ad d. 11. Januar.* deducit ROSVVEIDUS *in Notis*) *A Diabolo verò in gravissimum peccatum seductus, duos ideò Leones, individuos alioqui in deserto, quod incolui, comites amisi. Sed invocavi Christi misericordiam*, (pergit ille c. 21.) *quatenus mihi pœnitentiæ normam ostenderet, ac Leones ipsos redire juberet. Nec mora; clementissimus pater, qui me ad pœnitentiam servare voluit; illos confestim fecit redire Leones, mecumque ingressi in hanc speluncam humum pedibus suis ad unius staturam hominis aggerebant: ego autem hæc intelligens collotenus ipsam intravi fossam, ipsis imperans Leonibus, ut in eodem me sepelirent loco. Quod cum factum fuisset, annos tres sepultus in eadem fossa peregi. Interea ingenti pluvia descendente rupta est spelunca desuper caput meum, ubi stabam & lucem vidi, & foras manus emittens, herbas quæ in circuitu super caput erant, decerpsi & comedi. Tribus itaque annis evolutis, ad fuerunt Leones, & lumen circa me videntes, effodiebant humum, in qua me sepelierunt; ergo quidem toto corpore sanus egressus sum, virtutem pristinam in me sentiens, &c.*

CAPUT IV.

De Vivisepultura ex mortis imminentis certitudine.

§. I.

Tertiam nunc classem perlustraturo, eorum sc. qui imminentem mortis horam prævidentes in sepulchra sua vivi descendisse dicuntur, primus sese offert Johannes Evangelista, de cujus exitu Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ immani sententiarum divortio discrepant. Inprimis verò famosa est assertio (*c*) Nicephori & (*d*) Isidori Hispalensis, qui hunc dilectissimum Christi discipulum vivum se tumulo intulisse, ibique diem clausisse supremum, adstipulantibus aliis, perhibent.

(c) Verba ejus, quæ habentur *l. 2. c. 42. p. m. 208. Histor. Ecclesiast.* cum ad penitiorem rei cognitionem faciant, non pigrabor hic ascribere: *Quum enim* (Johannes) *dudum transitionem suam ad Deum, diemque & horam ejus prævidisset, sacerdotibus ministrisque Ecclesiæ, & præterea quicunque flagranti fide essent fratribus*

tribus assumtis, extra Ephesiorum urbem progreditur: & cum eis in vicinum quendam tumulum, quo frequenter ire, precationi operam daturus solebat, conscendit: ibi vehementius orans, Ecclesias Deo commendat: Mox sarculis quibusdam & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit, &c. Postremoque illis in Domino salvere & valere jussis, ubi se crucis signo communiisset in monumentum descendit, opercuculumque ei imponere & id firmius communire, denique reverti eos postridie, sepulchrum aperire, diligenterque perspicere mandat. Hoc modo cum ille, ut vestibus sepulchralibus amictus erat, in fossam descendisset, seque ad obitum composuisset, statim eo qui justis debetur, sopitur somno &c. (*d*) *De vita & morte Sanctorum n. 73. edit. Colon. 1617. Hic anno LXVIII. post passionem Domini Salvatoris sub Trajano principe longævo vetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, jussisse fertur effodi sibi sepulcrum, atque inde valedicens fratribus, facta oratione vivens tumulum introivit, deinde tanquam in lectulo in eo conquievit, &c. Quievit autem apud Ephesum VI. Calend. Januarii.*

§. II.

Neque tamen his inter se exactè convenit. (*e*) Alii enim illum resurrexisse inde & in Paradisum translatum fuisse, (*f*) alii eum in sepulchro instar dormientis vivere contendunt.

(*e*) NICEPHOR. *l. c.* hanc fovet opinionem, dum *ineffabilem Dei gloriam illum in divinum paradisum, itidem, ut omnibus laudibus celebrandam Dei genitricem, quæ per gratiam mater ejus fuerat, recepisse asseverat.* Cui sententiæ adstipulatur S. THOMAS *super Johann. c. 2.* inquiens: *Verum esse ex omnium sententia, quod sponte vivens sepulchrum subierit, & quod mortuus fuerit & resurrexerit corpore.* Et SIMEON METAPHRASTES *discipulos ejus nihil aliud postridie reperisse ait, quàm ipsius sandalia, quæ in signum factæ resurrectionis reliquerat.* Adde LUDOV. GRANATENS. *Part. Hyemal. Postill. de Sanctis Conc. 2. Fer. D. Joh. Evang. & Apostol.* & JOACHIMUM PERIONIUM, *Benedictinum in Vita Joh.* item PETRUM DAMIANUM *Cardinalem, in sermone 2. de S. Joh.* (*f*) Sic ISIDORUS *l. c. Unde accidit, ut quidam eum vivere asserant, nec mortuum eum in sepulcro sed dormientem jacere contendant, maxime pro eo quod illic terra sensim ab imis scaturiens ad superficiem sepulchri conscendat, & quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora pulvis ebulliat.* Assentire quoque huic videtur AUGUSTINUS *tract. 124. in Joh. Huic opinioni,* inquit, *supervacaneum existimo reluctari. Viderint enim qui locum sciunt, utrum hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur: quia & revera non à levibus hominibus id audivimus. Interim credamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus. &c.*

§. III.

Inficias autem ire nequeo, (*g*) Eusebium Cæsariensem, de cujus sedulitate in historia Ecclesiastica consignanda nemo facilè conqueri habebit,

bit,

bit, prorsus hac de Vivisepultura tacuisse, quod probabile nobis subministrat indicium, non adeò firmam esse assertionis hujus veritatem, alioqui nobilissimam istam circumstantiam circa S. Johannis excessum, siccô penitus, quod ajunt, pede non præteriisset. Præterea ipse *Hieronymus in Catalogo Script. Ecclesiast. p. m. 174. T. 1. Oper.* ejusdem non meminit, sed *Johannem confectum senio LXVIII. post passionem Domini anno mortuum & juxta urbem Ephesum sepultum esse tradit.* Et quandoquidem (*h*) Nicephorus eruditis sublestæ fidei scriptor audiat, quem alii agmine factô sequuntur, causa nos sat gravis urget quare assensum nostrum suspendamus, donec firmioribus rationibus de certitudine facti convincamur.

(*g*) Ita enim *l. 3. c. 11. p. 71.* sese expedit: *Johannes plurimum in Asia commoratus Ephesi tandem diem obiit.* Cui suffragium præbet TERTULLIANUS *in libro de anima c. 50. Obiit & Johannes, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes* &c. (*h*) Nam THEOD. BEZA *in not. Act. 1, 13.* illum *ineptum & ridiculum historiæ Ecclesiasticæ scriptorem* vocat. Et PAPPUS *in Epit. Histor. Eccles. membr. 1. p. 51.* hanc de eo habet censuram: *Nicephori historia cum judicio attente legenda est: inquinata videlicet multis partim ridiculis, partim etiam impiis fabulis.* JOACH. CAMERARII, CASAUBONI, BELLARMINI, MALDONATI *judicia de eodem* v. ap. GERHARD. *in Patrologia p. m. 622. seqq.* Plura de obitu S. Johannis scire volenti abunde satisfacient eruditissimæ *Dissertationes Dn. M.* MITTERNACHT. *de Joh. c. 21. v. 22.*

§. IV.

Non disparem quoque nonnullis affirmantibus vitæ exitum habuisse dicitur (*i*) S. Severus Ravennatis Ecclesiæ Præsul, quippe qui horæ transitus sui præscius anno post natum Christum (*k*) 1348. die Kalend. Februarii se vivum cryptæ intulit, ibique (*l*) inter uxorem ac filiam se collocans expiravit; id quod tamen (*m*) Ughellus credidisse haud videtur.

(*i*) Istud *Acta Sanctorum* BOLLANDI, quæ Vir Maximè Reverendus D. L. ITTIGIUS ex instructissima sua Bibliotheca nobis benevolè communicavit, in *vit.* S. SEVERI ab ANONYMO *collecta c. 4. p. 85.* referunt: *Hic denique cælitus electus sacerdos dum quodam die piè Missarum solemnia celebrasset, & transitum suum quem longè ante præscivit, Dominici corporis & sanguinis perceptione muniisset, convocato totius urbis clero, nec non populo, juxta morem suum de integritate Catholicæ fidei conservanda, deque unanimitate ac fratrum charitate obtinenda, prolixius, secundum sibi datam sapientiam, sermonem protulit. Quo finito, firmata pace atque benedictione, stola ut erat pontificali trabeatus, proprium sibi jubet sepulchrum aperiri. Quod videlicet nimis multis adstantibus ingressus inter Conjugem & filiam modo mirabili se collocans, voce serena vultuque vigorabili Vale ultimum dormiturus in Domino dedit, suaviterque se*

obcludi marmore jussit. Ibi denique aliquandiu orans pretiosam Domino animam lætus reddidit, atque sarcina carnis exutus cælestis regni capitolium est indeptus. Tali namque modo in pace Ecclesiæ defunctus est plenus dierum sub die Kalendarum Februarii. Cui conformis est SURIUS *in vit. Sanctorum M. Febr. p. 26.* Sed variantibus quibusdam circumstantiis historiam tradit LUIDOLPHUS PRESBYTER *in ejus vit. c. 3.* quæ pariter ap. cit. BOLLAND. extat *p. 59. Succedente autem tempore cum vir Domini jam seniô fessus diem ultimum sibi imminere conspiceret, sacerdotalibus vestimentis indutus Missam, nonnullis adstantibus, celebravit. Qua completa unumquenque in sua redire præcepit, excepto uno Scholastico, qui ejus nutu omnes ecclesiæ januas clausit. Deinde accedente B. viro ad locum, ubi sanctæ mulieres conditæ fuerant, statim tumulus ille ultro apertus est. Tunc ille, Soror, inquit, & filia, hoc sepulchrum mihi præparavi, vobisque indigentibus utendum præstiti: Sed quia modo ad factorem meum, illo vocante, proficiscor, date mihi locum vobiscum dormiendi; ut qui in hoc seculo communiter viximus, etiam communi sepultura utamur. Quibus illicò locum dantibus, vivus tumulum, ceu S. Joannes fecisse legitur, introivit, atque signaculo S. Crucis sese muniens obdormivit. Puer autem qui intus erat in Ecclesia, videns beatum virum ingredi sepulchrum, lapidemque superiorem in locum pristinum quasi ab hominibus volvi, cum clamore valido cucurrit* &c. Quartus testis adest VOLATERRANUS *l. 29. p. m. 706.* scribens: *Severus præsul Ravennas tempore Joviniani Principis: qui prænoscens exitum suum inter filiam & uxorem se medium collocavit.* (*k*) Ast secundum HARÆI calculum circa annum 390. v. BOLLAND. *l. c. p. 80.* (*l*) Post modò allegatos Autores conf. *C. unaquæque 13. qv. 2. §. Item S. Severus.* (*m*) Cujus in *Italia Sacra T. II. p. 329.* hæc sunt verba: *Interfuit autem* (sc. Severus) *Sardicensi Concilio anno 347. ubi ostendit sibi à Domino infusam fuisse Doctrinam. Paulo post quam à Concilio reversus fuerat, diem clausit postremum Kalendis Febr. 348. sepultusque est in Classe prope Vincentiam uxorem & filiam, ubi postea Petrus Archi-Episcopus Ravennæ templum erexit Severi Nomine consecratum, cum Monasterio quod olim Monachi Cistercienses incoluerunt, posteaque coacti sunt illud deserere ob Commendatariorum ingluviem.* Dum itaque Severum sepultum esse meminit, non censendus est fidem arbitrari iis, qui illum vivum sepulchrum subiisse asseverant.

§. V.

Ob præsentaneam itidem mortem Rostochi quendam, vivum sepulchrum fuisse ingressum, (*n*) *Zeilerus ex Petri Lindebergii Chron. l. 3. c. 7. p. 86.* commemorat. Cum enim fluidæ luis contagia illud anno 1475. infestum redderent, unus ex primariis civibus, cui nomen Conrad Mulsche, uxore & duabus filiabus, quas pestis jamjam enecaverat, ad coemeterium deportatis atque in foveam injectis, vivo corpore, quoniam ultimum momentum

mentum vitæ ſuæ ruere quoque intelligebat, ſe mortuis conſociavit, ibique mortalitatem explevit.

(*n*) *Epiſt. ult. Cent. 5.*

§. VI.

Jam quid de ejusmodi Viviſepultura, quæ ex imminentis mortis certitudine inſtituitur, judicandum ſit, paucis exponere juvat. Quod ut eò rectius fiat, ſententiam meam paulo diſtinctius exprimam. Si quis mortem inſtantem, quam vel certisſimus novit, per Viviſepulturam accelerare ſtudet, *αὐτοχειρίας* crimine ſe non poterit non commaculare. Siquidem punctum illud fatale, quod ſupremns vitæ noſter arbiter cuilibet poſuit, æquo animo expectandum, nec ullo modo à nobis occupandum. Sin autem ſe vivum ſepeliendo quis mortem non quidem maturare, ſed in tumulo tantum expectare velit, iterum diverſi ſunt ponendi carceres. Nam ſi quis in tumulum præſentibus aliis, eidemque, donec exſpiret, opem ferre paratis, ſe conferat, eum culpæ notam contrahere negaverim, cum perinde eſſe videatur, utrum domi in lecto ſuo, an in ſepulchro obdormiat. Quodſi autem tumulo ſe condat aliis abſentibus, vitam ſuam præter rationem exponit periculo, atque ſic ab omni culpa ſe immunem haudquaquam præſtat. Fieri enim poteſt, ut quis mortem, certò ſibi perſuaſus, imminere judicet, vires tamen recolligere atque vitam ſuam ulterius protrahere queat. Præſtat itaque ab hac Viviſepultura abſtinere, & id humanitatis officium ab aliis exſpectare.

CAPUT V.

De
Viviſepultura ex Religione.

§. I.

TAm cœca mentis caligine Gentiles Ethnicos detentos fuiſſe, ut humano ſanguine Deaſtros propitiare multis in regionibus aſſueverint, cùm è ſacro codice, tum è profanis Hiſtoricis ſatis edocemur. Major incerea pars (*o*) homines vel ad aram jugulabat, vel nefandis flammis concremabat, ſic ut rarior extiterit in Sacrificiis Viviſepulturæ uſus.

(*o*) GYRALD. *de Diis Gentium Syntagm. 17. p. 761. ſeqq.* ALEX. ab ALEX. *Genial. Dier. l. 6. c. ult.* STUCK. *de Sacrificiis. p. 41. 42.*

§. II.

Attamen Persis istum morem oppidò familiarem fuisse legimus, quippe qui juvenes (*p*) utriusque sexus vel ad (*q*) persolvendas Diis suis gratias vel ad alium Religionis cultum ipsis habendum sub terram olim defoderunt. Modum autem aliaque solemnia invida obliteravit vetustas.

(*p*) Audientes autem eum locum Novem vias Edunorum appellari, totidem illic pueros ac virgines virorum indigenarum vivos defoderunt. Persicum enim est defodere viventes. HEROD. *l. 7. c. 114.* (*q*) Amestrin Xerxis uxorem, jam provectæ ætatis, audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra fertur esse. HEROD. *l. c.*

§. III.

Romani etiam, ut infestorum Numinum iram placarent, hac Vivihumatione aliquando usi sunt. (*r*) Extraordinaria enim sacrificia ex fatalibus libris facere coacti Gallum & Gallam, Græcum & Græcam vivos in foro Boario sub terram demiserunt in locum saxo conseptum.

(*r*) LIV. *l. 22. c. 57.*

§. IV.

Verum quis mecum absurdissimum istum Religionis modum non execrabitur? Sive enim ad Socialitatem oculos intendamus, proh Deum immortalem! quantopere illa hoc pacto disturbata fuit; sive ad Innocentiam vivisepultorum respiciamus, quam concularunt illud præceptum: Neminem esse innoxiè lædendum! Et cum deastroum cultus res per se turpis extiterit, elucet, multo adhuc majori turpitudine laborare hunc sacrificandi modum. Imò, ne quid dissimulem, natura adeò humanas victimas abhorret, ut mirer Gentiles à rectæ rationis tramite eo usque deflectere potuisse.

CAPUT VI.

De Vivisepultura ex Vindicta.

§. I.

EXpositis ergò variis Vivisepulturæ speciebus, ultima adhuc enodanda restat, illa sc. quæ certum vindictæ genus idque acerbissimum apud diversos populos constituit, dum alicujus noxæ rei vivo corpore ex summæ potestatis imperio vel ex proprio privatorum arbitrio terræ fuerunt mandati,

dati, ut ibidem vel statim suffocarentur, vel longâ inediâ macerati perirent.

§. II.

Utque rem exemplis corroboratam sistam, adibo nobiliores mundi partes atque à longinquâ ordiar America, quo in reditu nostræ plagæ diutius immorari possim. Deprehendo autem apud Peruanos, qui Soli divinum cultum deferentes æternum ignem in illius honorem per virgines, quibus illibata servanda erat castitas, alere studuerunt, quod, si unam ex illis stuprum fuisse passam cognovissent, statim illam (s) vivam sub terram defoderint, stupratorem autem vivi comburio affecerint.

(s) DAPPERS Beschreib. *Amer. p. 347.* FRANCISCI Ost-und West-Ind. Lustg. *p. 1693.* Quodsi tamen ex Sole se concepisse sanctè adjuraret, immunis erat à dicta pœna. LIPSIUS *de Vesta & Vestal. c. ult.*

§. III.

Inde in Japoniam trajicio, quæ quidem Sacerdotibus suis, quos Bonzios nominant, summam reverentiam decernit, illos tamen durissimis regulis vitæ ita constringit, ut si eas transiliant, umbilico tenus (t) terræ immittantur, & à prætereuntibus crebros ictus accipiant, donec expirent.

(t) VARENIUS *in Descript. Japoniæ & Siam l. 3. c. 2. p. 154.* è Caronio pœnam Sacerdotum ita tradit: *Duodecim sectæ sunt, earum undecim, qui præsunt, sacerdotes, nihil comedunt eorum, quæ vitam aliquando accepére, neque illis cum muliere conversari licet. Si itaque aliquando Bonzius quidam in hisce peccet, re ad Magistratum delatâ, defoditur in terram ad viam aliquam umbilico tenus. Unusquisque autem via ista iter faciens (exceptis nobilibus) tenetur defossi Bonzii collum ligneâ serrâ ferire; hosce ictus multoties repetitos tertio vel quarto demum die mors consequitur.*

§. IV.

Ulterius in Siamense Regnum tendo, ubi (u) anno 1650. M. Febr. insigne exemplum accidit. Cum enim plurimi procerum veneficii in filiam Regis commissi arguerentur, & probatione per ignem facta, ut quidem Tyrannus credebat, satis delicti convincerentur, quosdam illorum in viis, quibus urbs aditur, vivos collotenus infodi mandavit, singuliq; prætereuntes coacti fuerunt, sputum in eos injicere.

(u) J. J. Straussens Denckw. Reis. *p. 27.*

§. V.

Persas nunc saluto, quos antiquis temporibus frequenter Vivisepulturâ usos fuisse constat. Ast (x) formam supplicii alta oblivio oppressit; credibile tamen est, scrobem factam & capite demisso pronos fuisse obru-

tos, quod (*y*) Herodotus de Cambyse duodecim Persas defodiente testatur. Easdem quoque pœnas (*z*) Apollonides Cous Medicus ob exæstuantis libidinis scelera suo cum interitu sensit; quæ etiam morti tradiderunt illos, quorum (*a*) Ctesias postea mentionem injicit.

(*x*) Verba sunt BRISSONII *de Regno Persarum p. m. 264.* (*y*) *L. 3. c. 35. Alterâ die duodecim Persas ob nullius momenti causam necavit, vivos in caput defodiens.*

(*z*) Cum enim Amytin Megabyzi uxorem malis artibus ad concubitum pellexisset, Amytis tabe inde contracta moriens matri in mandatis dedit, ut Apollonidem ulcisceretur. Quæ etiam venia ab Artaxerxe impetrata, postquam per bimestre spatium miseris cruciatibus illum affecisset, vivum defodit, quô videlicet die filia extincta fuit. CTESIAS *c. 41.* (*a*) *c. 54. Ast Parysatis matrem Terituchmis, fratresq; Metrosten & Helicum & sorores, quæ præter Statiram duæ erant, vivas terra obrui; Roxanen autem secari jussit.*

§. VI.

Ultimam inter Asiaticas regiones Arabiam accedo, antiquissimo ac memorando vivi-humationis exemplo claram. Consignatum istud legimus in (*b*) sacrâ paginâ, ubi seditiosos Korah, Dathan & Abiram, eorumq; asseclas (*c*) inferna subiisse patet, Deo videlicet nova prorsus ratione detestabilem illorum inobedientiam vindicante.

(*b*) *Numer. c. 26.* (*c*) Infernus hîc non πῦρ damnatorum, sed tetrica solùm subterraneæ regionis loca denotat, prouti in aliis Scripturæ locis in hoc sensu usurpatur.

§. VII.

Nunc itaque Europam visitaturo occurrit primò Thebanus ager, in quo Antigone filia Oedipi Regis Thebanorum, cum defunctorum fratrum Eteoclis & Polynicis corpora cremasset, jussu Creontis olim (*d*) viva sepulta fuit.

(*d*) quæ APOLLODORI *l. 3.* est sententia.

§. VIII.

Longô terrarum tractu superatô Hungariam peto, quæ tale supplicium anno 1575. in campo prope arcem (*e*) Pappa in sceleratos quibusdam milites statui vidit. Hi enim, cum dictum castellum nefandâ proditione Turcis dedere constituissent, ultrici dextrâ præventi debitas, ob fidem DEO & Cæsari fractam, luerunt pœnas. In terram siquidem defossi fuerunt, capitibus adhuc eminentibus, quæ postmodum duros globorum ictus sustinuêre.

(*e*) Gottfrieds Chron. *part. 7. p. 944.* & OERTELII Ung. Chron. *p. 278.*

§. IX.

§. IX.

Dehinc sese offert Italia, cujus delitiis diutius paulò inhærere non incommodum erit. Inter alia verò, quæ Numæ pietas circa religionem Quiritibus observanda olim præscripsit, primas sibi vendicat (*f*) Vestæ sive (*g*) Terræ cultus, in eo potissimum consistens, quod (*h*) nonnullæ (*i*) virgines voto (*k*) tricennalis castitatis obstrictæ (*l*) ignem perpetuum, in medio ferè (*m*) urbis fulgidum, summâ sollicitudine alere tenerentur. Si ergò negligentiores sese in custodienda sacra flamma gessissent, sic ut illa (*n*) extingueretur, (*o*) flagrorum coërcitionem à Pontifice maximo sentiebant; Sin verò in nefarium stuprum consentientes corporis pudicitiam profanassent, ad Vivisepulturæ pœnam à (*p*) Tarquinio Prisco constitutam condemnabantur.

(*f*) *Huic* (Vestæ) *Numa primus apud Romanos templum statuit, & Virgines sacrorum ministras assignavit.* DIONYS. HALICARN. *Antiq. Rom. L. II. p. 125.* Et quamvis sint, qui Romulo ejus originem ascribere velint, suæq; opinioni exinde robur conciliare nitantur, quod oriundus fuerit à majoribus, per quos Vestæ sacra ab Ilio in Latium fuerunt translata, & quoque natus ex hujus Divæ sacrifica, illos tamen solidissimis rationibus refutat *Autor l. c.* Imaginem Vestæ aliaque, quæ ad Mythologiam spectant, describit GYRALDUS *de Diis Gent. Synt. 4. p. m. 205. seqq.* (*g*) PLUTARCHUS *de primo frigido T. II. Oper. p. m. 954. Itaque terram, quòd non tantùm locum suum servet, sed etiam substantiâ sit immutabilis, ac semper in Deorum maneat domicilio, à stando Hestian sive Vestam nominarunt prisci.* Sic quoque EURIPIDES: *Et terra mater, Vesta quæ sapientibus vocaris.* Ut & OVIDIUS *l. 6. Fastor. v. 267.*

Vesta eadem est & terra &c.

Et paulò pòst: v. 299.

Stat vi terra suâ: vi stando Vesta vocatur.

(*h*) Earum quatuor initio fuisse, illisque Tarquinium Priscum duas adjecisse, ex DIONYS. *loc. cit. pag. 200.* discimus: *Duas Vestales,* inquit, *quatuor prioribus addidit.* Ex quonam igitur fundamento (penè dixerim errore) hoc Collegium ad vigenarium numerum crevisse asserat ALEX. AB ALEX. *Genial. dier. l. c. c. 12.* mihi sanè non expedita res est. (*i*) DIONYS. *lib. 2. pag. 126.* perhibet, *cultum hunc virginibus potius quàm viris propterea videri creditum, quod ut virgo incorrupta, ita ignis quoque incontaminatus sit, atque ita castissimo numini gratam esse rem apud mortales itidem purissimam.* Capi autem debebat à Pontifice maximo certis solennitatibus observatis, & inter capiendum Amata ab eo appellabatur, quoniam quæ prima capta est, hôc fuisse nomine traditur. Propterea verò capi virgo dicitur, quia Pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur; nec minor erat, quàm annos sex, nec major, quàm annos decem. Vid. de his AGELL. *Noct. Attic. lib. 1. cap. 12.* Non itaque perspicio, quâ ratione defendi queant HOFFMANNUS *in Lexic. Univ. sub Vesta,* & SER-

VAT.

VAT. GALLÆUS *in Oraculis Sibyllinis pag. 623.* ambo ſtatuentes quòd intra decimum ſextum ætatis annum eligi debeat. (*k*) Nam poſt trigeſimum annum ipſis licebat nubere, quamvis raro id contigiſſe teſtetur DIONYS. *lib. 2. p. 127.* (*l*) Cur ergò, inquis, conſecratus erat ignis Veſtæ, ſi terram illa denotat? Contrarius ſibi videtur hoc pacto OVIDIUS *l. c.* canens:

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.

Sed facilè iſta conciliari poterunt. Sub nomine Veſtæ enim & terram & ignem, ſeu terram igniferam, (uti ſub Cerere terram frugiferam) uno templo coluerunt Romani. Nam (1.) cœleſtes ignes aluntur exhalationibus, quas terra emittit, quemadmodum DIONYS. *l. c. p. 126.* aſſerit: *Cæterum ignis dicatus eſt Veſtæ, quod cum Dea hæc ſit Tellus mediumq; mundi locum obtineat, ſublime micantes ignes ipſa ex ſe accendit.* (2.) Quia plurimos continet ignes in ſuis viſceribus, id quod tùm ex montibus ignivomis, tum ex thermarum calore inſigniter pateſcit. Atque hanc ob cauſam Veſta ſignificabat ignem terreſtrem. Quamvis non abnegaverim, quòd cœleſtium ignium, Solis inprimis, ſymbolum fuerit. Ita enim FLORUS *l. 11. c. 2. Numa focum Veſtæ virginibus colendum dedit, ut ad ſimulachrum cœleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret.* (*m*) v. LIPS. *de Veſt. & Veſtal. c. 3.* (*n*) Quod triſtisſimum omen civitati erat; & ad reparandam flammam tum mos erat (autore Feſto) tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, donec exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret. (*o*) PLUTARCH. *in Numa T. 1. p. 66.* Ob alia peccata Virgines Veſtales flagris cæduntur à Pontifice maximo. Interdum nudam quæ deliquit, loco obſcuro & obtenſo velo caſtigat. Concordat LIVIUS *l. c. 28. c. 11.* Plus omnibus aut nuntiatis peregrè aut viſis domi prodigiis terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ extinctus, ob quam cauſam cæſa flagro eſt Veſtalis, cujus cuſtodia noctis ejus fuerat, juſſu P. Licinii Pontificis. (*p*) Nam ex lege olim Veſtalis ob violatam pudicitiam virgis cæſa necata fuit. DIONYS. *l. 1. p. 64.* Numa verò inceſtam lapidibus obrui ſtatuit, uti quidem LIPS. *l. c. c. 13.* ex Cedreno aſſerit. Tarquinium Priſcum verò Viviſepulturæ pœnam induxiſſe poſtmodum, communior eſt opinio. Sicuti videre eſt in DIONYS. *l. 30. p. 280.* Quin & ſupplicium, quo in eas ſtupri convictas animadvertunt, ipſe videtur inveniſſe primus. Cui accedit ZONARAS *T. 1. l. 7. p. 326. Unam è Veſtalibus,* ait, *quibus perpetua eſt ſervanda virginitas, à quodam ſtupratam in ſubterraneo ſpecu oblongo, ibiq; lectulô, lucernâ & menſâ cibariis plenâ, collocatis, multis ſtupratam eò deducentibus, viventem (Tarquinius Priſcus) obſtruxit.* Et ſic ab illo tempore de inceſtis Veſtalibus pœnas ſumi receptum eſt. Qui verò illas violarint, collo furcæ inſerto in foro nudi flagris cæduntur, donec expirarint. Miror itaque, quid Catanæo in mentem venerit, quando hujus inſtituti originem ad Tarquinii Superbi tempora refert. Conf. PLINII *Epiſtolas, quæ ex recenſione B. Thomaſii an. 1673. prodierunt p. 259.*

§. X.

Præcipua verò ſolemnia circa hanc obſervata, in ſequentibus potisſimùm conſiſtebant. Poſtquam Veſtalis nefarii criminis inſimulata eſſet, ex Pon-

Pontificum decreto ſacris abſtinere, (q) familiamq; in poteſtate habere jubebatur. Dein convicta cum (r) ſepulchralibus ornamentis lecticæ indebatur, & undiq; (s) obvoluta ac loris vincta, per forum ad portam Collinam, locumque, qui Sceleratus campus exinde audiebat, deducebatur. (t) Amicis autem cum luctu eam proſequentibus, ubi ad deſtinatum locum ventum eſſet, apparitores vinculis terram jamjam ſubituram liberabant, quam Pontifex maximus, arcana quædam, extenſis ad cœlum manibus, precatus, obvelatam educebat. Erat autem ibidem intra muros ſub aggere quodam cellula excavata, ad quam ſcalis deſcenſus, & in ea ſtratus (u) lectulus, lucerna ardens, & menſa, cum paucis, ad (x) vitam aliquandiu tolerandam neceſſariis inſtructa, pane ſc. lacte, aqua & oleo. Itaque in ſcalis ubi Pontifex miſeram conſtituit, ſeceſſit cum aliis ſacerdotibus; Ipſa verò deſcendens lecto ſeſe (y) immiſit. Tum ſcalis attractis (z) ædiculam multâ terrâ obruerunt, donec reliquo aggeri complanata fuerit. Poſt miſerabile iſtud ſupplicium, in luctu & mœrore totam diem transigentes (a) juſtitiô indictô nihil publicæ magnæque rei geſſerunt, imo ipſam inhumatam Veſtalem nec monumento, nec (b) parentatione dignam judicarunt.

(q) LIV. *l. 8. c. 15.* Prohibebatur ſc. ne manumitteret ſervos, cum pontifices eos ad veritatem tormentis confitendam cogere vellent. (r) DIONYS. *l. 7. p. 128.* ἅμα τοῖς ἐνταφίοις κόσμοις. quia tanquam cadaver velata & culta fuit interprete LIPS. *l. c. c. 13. p. 47.* (s) Addit PLUTARCH. *in Numa T. 11. p. 67.* Undique obnubunt eam, vinciuntque loris, ut ne vocem quidem mittere illa, quæ valeat exaudiri, queat. Demebantur a. ipſi antea infulæ, quas turpiſſimo facto polluerat, uti conſtat ex DIONYS. *l. 8. p. 556.* (t) PLUT. *l. c.* Decedunt a. via omnes taciti, proſequuntur que ſine voce atque ingenti cum mœſtitia. Neque eſt ſpectaculum illic ullum magis horrendum, nec triſtior facies civitatis ulla alia die. (u) Sed cuinam uſui deſtinatus erat lectus? Fortè ut accumberet. Nam Romanos lectulis uſos fuiſſe in cibis capiendis, notius eſt, quam ut longioribus explicem. (x) Et quidem eum in finem, ne corpus maximis conſecratum cerimoniis fame confectum videretur. PLUT. *l. c. p. 66.* (y) LIPS. *l. c. p. 48.* (z) Parum refert, utrum ædiculam an cellam appellare malis. PLINIUS n. *l. 4. Ep. 11.* cubiculum quoque nominat. (a) ALEX. ab ALEX. *l. c. l. 5. c. 12.* (b) Ita quidem DIONYS. *l. c. l. 2. p. 128.* Cui nullo modo contrarius eſt PLUTARCHUS *in quæſt. Rom. T. 11. p. 281.* Ac ne hoc quidem modo defunctos ſe religione putabant, ſed hodieque mos obtinet, ut ad illum locum ſacerdotes accedentes parentent. Intelligendus erit potius de expiatione à Sacerdotibus facta, quam de veris Parentalibus. LIPS. *l. c.*

§. XI.

Cauſam hujus ſupplicii quod attinet, ſufficienter illam ex (c) *Plutarcho*, diſertiſſimo ſcriptore, haurire licebit. Aut enim quia mortuos

cremabant Romani, injustum ipsis reputabatur eam comburere, quæ sacrum ignem pie non custodiit. Aut nefas ducebant, corpus summis consecratum ceremoniis interficere, & manus sacræ mulieri adferre. Vivam ergò in terram potius demittere voluerunt, ut ultro & sua sponte mortua crederetur, inprimis quod rationi ex illorum opinione valde esset consentaneum, ut conderetur in Terra, quam per sacræ virginitatis imminutionem temere (*d*) violaverat. Sed istam pœnam Principes in (*e*) aliam interdum transmutarunt.

(*c*) in *quæst. Rom. T. II. p. 286, 287.* (*d*) Rem ita expressit OVIDIUS *l. 6. Fastor. v. 459. seqq.*

Nullaque dicetur vittas temerare Sacerdos
Hoc Duce: nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit, quia quam violavit, in illa
Conditur: Et tellus Vestaque Numen idem est.

(*e*) SVETONIUS *in vit. Domitiani. c. 8. Incesta Vestalium virginum, à patre quoque suo & fratre neglecta, variè ac severè coërcuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam cum Ocellatis Sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset* &c.

§. XII.

Quæ verò dicta Inhumatione fuerint necata, apud Historicos hæ non incelebris sunt nominis. Prima nominatur (*f*) Pinaria, quam exceperunt (*g*) Oppia (*h*) Minutia, (*i*) Sextilia, (*k*) Opimia, (*l*) Urbinia & (*m*) Cornelia. Præter has etiam nonnullarum è diversis Autoribus meminit *Tiraquellus in not. ad Alex. ab Alex. l. 5. c. 12.* Ultimô demum tempore (*n*) Daria virgo Vestalis, quæ repudiatô paganismô Christianam fidem amplexa Chrysantho cuidam nupserat, jussu Imperatoris Numeriani, unà cum marito, viâ Salaria, in Arenario deposita atque illic viva terrâ ac lapidibus obruta fuit. (*o*) Feronia quidem etiam incesti convicta fuit, sed voluntaria morte supplicium antevenit. (*p*) Tres verò alias Vestales alio mortis genere Domitianus sustulit. (*q*) Posthumia & (*r*) Fabia causam dicentes Pontificum sententia absolutæ discesserunt. (*s*) Ast Æmilia & Tucia miraculis suam innocentiam purgarunt.

(*f*) DIONYS. *l. 3. p. 200.* (*g*) LIV. *l. 2. 42. Qui terrores tamen eò evasere, ut Oppia virgo Vestalis damnata incesti pœnas dederit.* (*h*) LIV. *l. 8. c. 18. Eo anno Minutia Vestalis suspecta primò propter mundiorem justò cultum, insimulata deinde apud Pontifices ab indice servo, cum decreto eorum jussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere: facto judicio viva sub terram ad portam Collinam dexterâ viâ stratam defossa Scelerato campo.* OROSIUS *l. 3. c. 9.* (*i*) LIVIUS *Epit. l. 14.* (*k*) *Territi etiam super tantas clades cùm cæteris prodigiis, tum quod duæ Vestales eo anno Opimia & Feronia stupri compertæ: & altera sub*

sub terram ut mos est ad portam Collinam necata fuerat; altera sibimetipsa mortem consciverat. LIV. *l. 22. c. 51.* Confirmant hoc DIONYS. *l. c. l. 8. p. 556.* PLUT. *in Fab. Max. T. 1. p. 184.* Cæterum hic occurrit indigitanda magna magni Lipsii inadvertentia, dum hanc Livio Oppiam dici asserit. *Synt. de Vesta & Vestal. p. m. 46.* cum tamen scire debuisset Opimiam nostram diversam esse ab illa Oppia cujus mentionem facit LIV. *l. 7. c. 42.* (*l*) Ita DIONYS. *l. 9. p. 597.* *Hac calamitate sæviente servus quidam Pontificibus indicat unam Vestalium virginum Urbiniam* (vel Orbiliam, uti observat SYLBURGIUS *in notis ad h. l.*) *virginitate amissa impunè sacra pro populo facere. Hi amotam à sacris & in judicio convictam virgis ceciderunt, traductamque per urbem vivam defoderunt.* Crassè adeoque hallucinatum esse ALEX. ab ALEX. quivis intelligit, dum *l. 5. c. 12.* in fine affirmare non dubitavit, hanc injustè pœnam tulisse, quod pestilenti contagio posteà matronæ mortuos ediderint partus ipsæque unà interierint. Nam ex verbis DIONYS. *l. c.* patefit, istam calamitatem præcessisse, & denunciasse quasi profanatam Vestalis pudicitiam. (*m*) SVETON. *in vit. Domitiani c. 8.* Corneliam virginem maximam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit. PLIN. *l. 4. Epist. 11.* totum processum fusius descripsit. (*n*) Allegat istam historiam è martyrum actis LIPS. *l. c. p. m. 49.* (*o*) LIV. *l. 22. c. 57.* (*p*) PHILOSTR. APOLLON. *in vit. VII. 3. Iterum quoque dum Domitianum memorari cogitasset, atque ipsum nonnulli laudarent, quod Romæ templum Vestæ purgasset, virginibus tribus ob zonæ solutæ crimen interemptis, & quia rem cum viris habuisse culparentur: cum oporteret eas castas, atque intactas Iliensem Palladem & ignem perpetuum custodire.* Credo quod illæ fuerint, quarum meminit SVETON. *l. c.* *Nam cum Ocellatis sororibus & Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium* &c. Et EUSEB. *Chron. ad ann. 2099. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ.* (*q*) LIV. *l. 4. c. 44.* *Eodem anno Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimine innoxia: ob suspicionem propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius, quàm virginem decet, parum abhorrens famam. Ampliatam deinde absolutam pro Collegii sententia Pontifex, maximus abstinere jocis, colique sanctè potius, quam scitè jussit.* (*r*) *Fabia verò incesti causam dixit, cum ei Catilina objiceretur, & quia soror Terentiæ Ciceronis erat, inducto crimine absoluta fuit* ALEX. ab ALEX. *l. c.* (*s*) De his vid. DIONYS. *l. II. p. 129.*

§. XIII.

Quodsi ergo in hanc Vestalium pœnam Infossionis scrutari animus est, illam Injustitiæ notâ signare nollem. Revera enim atrocissimum delictum erat, quando istæ virgines, quas illibatâ gloriari virginitate oportebat, venereô pruritu excitatæ in vetitos cum viris congressus consentiebant, sicque sacri ignis curam nefarie negligebant. Crescente itaque hoc piaculo, pœnas etiam magis crescere iniqvum non fuit; si sacris intacta autoritas stare deberet. Et utut quam maximè ambabus largiar manibus, quod iste cultus Vestæ ad Idololatricos sit referendus, adeoque & ipsa

pœna

pœna summam impietatem sapiat; Quia tamen ex opinione Quiritium cardo totius Religionis in eo consistebat, & ejusdem contemtus dira semper civitati annunciabat, utique officium sapientis Legislatoris exposcebat, ut sceleribus Vestalium pœnarum gravitate iret obviam. Nam pœnæ attemperari debent ad statum Reipublicæ, cujus salutem & commoda stabilire enitimur.

§. XIV.

Tempore & lege diu (*t*) antiquata huc usque rimatus sum in Italia, nunc recentius aliquod exemplum memorasse juvabit. Accidit autem istud (*u*) Ravennæ, duobus circiter abhinc elapsis seculis, ubi cives, ut ulciscerentur turpissimam Gallorum perfidiam, quatuor eorum præfectos per Vivisepulturam vitam cum morte commutare jusserunt.

(*t*) Duravit enim Vestæ sacerdotium usque ad Theodosii Senioris tempora, à qua unà cum aliis sacrificiis, nequaquam reclamante Senatu, fuit abolitum. V. LIPS. *l. c. c. 14. p. 49.* & SERVATIUS GALLÆUS *de Sibyllinis oraculis p. 623.*

(*u*) Totam rem enarrat BEMBUS *Histor. Veneta l. 12. Illis diebus*, inquiens, *Julius Vitellius Tafernatium Episcopus, qui conditionibus acceptis Ravennæ arcem Gallis obsidentibus tradiderat, eò cum copiis ad expugnandam illam rediens traditis conditionibus recepit. Oppidani cladis suæ contra jus, contra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos, in arce qui fuerant, fide non servatâ vivos sepelierunt, cervicibus supra terram extantibus.*

§. XV.

Verum enim verò si hoc factum ad moralitatis regulas revocetur, injustitia vindictæ suô se indiciô, tanquam sorex, prodet. Dum enim hîc (*x*) malum non sustinuit, qui deliquit, nec vires nocendi ei ademtæ fuerunt, certô certius claret, quod furoris tantum, qui animum dolentis aliqua ex parte exsatiaverit, non justæ ultionis nomen mereatur. Taceo quod per pacta conventa fidemq; datam cives omni vindicta sese abdicaverint, quam postea fregisse turpissimum facinus erat.

(*x*) v. GROT. *de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 8. seqq.*

§. XVI.

Visa Italia in Galliam & Brabantiam cursum dirigo. In illa autem ante quinque circiter secula (*y*) Roberto cuidam in extirpandis Hæreticis commodissima videbatur via Vivihumatio. In hac verò anno superioris seculi XCVII, (*z*) Alberto Archi-Duci Austriæ ea pariter non displicebat. Siquidem ejus jussu virgo quædam nomine Anna Hovia, quæ sororibus Rampardis ancillabatur, ob dissensum in religione prehensa, &

minis

minis ad veterem Ecclesiam redire tentata fuit. Quod cum illa incredibili constantia recusavit, viva sub terram defossa miserandâ morte periit.

(y) Istud exemplum ex RAYNALDO *ad ann. 1207.* §.3. affert PHILIPP. à LIMBORCH *in Histor. Inquisitionis l. I. c. XI. p. 43. Robertus quidam, qui ex Albigensium secta ad Dominicanam familiam se transtulit, Principum & Magistratuum autoritate armatus, eos, qui in hæresi perstabant, flammis absumebat, adeò, ut intra duos vel tres menses quinquaginta nullo sexus discrimine aut terræ vivos infodi, aut rogis injici jusserit: unde hæreticorum Mallei nomen reportavit.*

(z) Eleganter, ut solet, historiam tradit HUGO GROTIUS *in Annal. Belg. ad ann. 1597. p. m. 285, 286: Anna Hovia,* inquit, *virgo famulari ministerio vitam tolerans cum sororibus Rampardis, quibus inserviebat, suspecta dissensionis circa Pontificum sanctiones, & in carcerem protrusa fuerat. Cumq; illæ victæ aut minis aut precibus amicorum, ac vitæ illecebris, quibus & viriles animi franguntur, imperitiam fatendo veniam meruissent; hæc una nihil moveri: modesto interim sermone obtestari, fœminam se & sexu & sorte extra turbas, ut crederet, rectè sentientem; sin minus erroris ream, cui par esset ignosci: at illud scelus non hominibus sed Deo vindicandum, si quis contra animi sententiam metu subactus, quamvis vera dicendo, mentiretur. Consultante Senatu, an judicium redderet, Albertus respondisse fertur, exercendas leges. Illud justius mireris, quod tam acerbum, infestumque etiam spectantibus supplicium placuit. Viva Bruxellæ sub terram defossa est, autores ejus sævitiæ pœnitentiam expectasse credibile est. Sed illa jam in specum descendens, inter mortem posita & proritantes veniâ sacerdotes, superfusam humum imperterrita, tantumque Deo supplex accepit. Ea mulieris constantia magna Belgarum miseratione celebrata est, augente famam rei novitate, cum olim multa cædium millia brevi auditu transmitterentur. Et post Albertus id genus crimina satis habuit minis, aut si urgeretur pœnis secretioribus compescere.*

§. XVII.

Istam pœnam quanquam Pontificii tum temporis non injustam putaverint, quod juxta eorum opinionem pertinaces hæreticos occidere fas & jura sinant; mihi tamen merito improbatur. Abhorret enim prorsus naturalis ratio ea imperare, quæ contra conscientiæ dictamen tendunt, cum nullo modo efficere possis, ut in rebus fidei ingenuè quis tuæ sententiæ album adjiciat calculum, nisi per præviam informationem de certitudine ejusdem in suo animo sit convictus. Si verberibus aliisque pœnis illum urgeas, hypocritam quidem, non autem sincerum asseclam habebis; hinc & Gregorius in *(a)* Jure Canonico istum prædicandi modum rectè abominatur. Multò minus ergò hoc in casu decebat dissentientes metu tam exquisiti supplicii ad Pontificiam religionem deducere conari, aut reluctantes postea truculentâ ratione occidere. Hæc omnia

 siqui-

ſiquidem incaſſum fiebant. Solus quippe Deus, non Princeps aut ullus mortalium imperium in corda hominum ſibi vindicare poterit; id quod (*b*) potentiſſimi nonnulli Reges ſapientiſſimis ſuis effatis agnovere.

(*a*) *C. 1. Diſtinct. 45. Quid autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè fraternitas veſtra novit. Paſtores etenim, facti ſumus, non percuſſores: & egregius prædicator dicit: (Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina)* Nova *verò atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* (*b*) Dicere ſuevit STEPHANUS BATORI Poloniæ Rex, *Deum tria ſibi reſervaſſe. Ex nihilo aliquid facere, futura ſcire, conſcientiis dominari.* Et MAXIMILIANUS *II. Imper. Epiſt. de Seditione Belgica. Nulla eſt tyrannis intolerabilior, quàm conſcientiæ dominari velle.* Et *Conſcientiæ dominium non ad Reges, ullosve Magiſtratus pertinere* quoque in extremo mottis articulo fateri coactus eſt HENRICUS *III.* Gall. Rex *cit. B. Scherzero in Syſtem. Theolog. l. 26. §. 13. p. 724.* Pluribus hanc materiam erudité perſeqvutus eſt Excellentiſſ. Dn. L. RECHENBERG in Diſſ. *de Propagatione Relig. violenta, hab. anno 1671.*

§. XIIX.

Satis innotuiſſe arbitror, quid apud exteras gentes circa Viviſepulturæ pœnam obtinuerit; nunc relictis illis demonſtrabo in noſtratibus quoq; regionibus non abhorruiſſe magiſtratus ab ejusdem exercitio. Etenim apud (*c*) Saxones olim receptum erat, ut matres, quæ furiali œſtro agitatæ infantibus ſuis tenellis vitâ extorſerant, vivas in foſſam immitterent, humo ſuper illas aggeſta, deinde acutam haſtam per illarũ viſcera adigerent, quo péſſimæ mulieres gravisſimum delictum gravisſimô ſuppliciô expiarent.

(*c*) MATTH. VVESENBEC. *in paratitl. ff. ad L. Pompej. de parricid. n. 5.*

§. XIX.

Et quemadmodum ſacratiſſimus Imperator Carolus V. (*d*) auguſtâ ſuâ autoritate hunc puniendi modum comprobavit; ita religioni nobis foret, illam crudelitatis alicujus accuſare. Sed video in contrariam partem abeuntes & aſperitatem pœnæ exprobrantes nobis objicere: (1) Metuendum hic eſſe non ſine cauſa deſperationis periculum, quod tamen Magiſtratui in infligendis ſuppliciis quibuscunque modis avertere incumberet. (2) Ipſimet Imperatori non penitus approbari propterea rigorem pœnæ, ex eo quis facile divinare poſſet, qnod (*e*) aliam in ejus locum ſurrogaverit, ſcilicet ſuffocationem per aquas. (3) Crudelitatem pœnæ exinde quoque ſatis pateſcere, quod in deſuetudinem prorſus in Germania abierit. At ſalva adhuc res eſt, nondum poterunt ſententiæ

noſtræ

noſtræ fundamentum evertere admoti arietes. Non enim tanti momenti eſſe debet deſperationis periculum, ut Magiſtratus ab infligenda hac pœna abſtineat, imprimis cum in crucrifragio, vivicomburio, uſtulatione, fumigatione &c. ſimilis metus non exulet, quæ tamen pœnarum genera, neceſſitate ita exigente, applicari quotusquisque eſt, qui ignoret? Et quanam quæſo ratione imperantes ſalutem Reipublicæ, cujus non minima pars eſt multitudo civium, tanquam finem primarium obtinere poſſent, ſi conſceleratiſſimis iſtis infanticidis, quæ civitatem tot membris nefariè ſpoliant, acerbiſſima ſupplicia non irrogaret? Aut quid vetat creſcentibus delictorum Zizaniis, quo minus pœnarum gradus exaſperentur? Sibi ſanè habeant, qni ejusmodi criminibus perpetratis ſummam poteſtatem ad duriorem animadverſionem provocant, unde ad deſperationem anima adduci queat. Deinde non quidem abnegaverim aliud ſupplicii genus in ſanctione iſta Carolina commendari; ſed illud de eo ſaltem caſu intelligendum, ſi nefandæ iſtiusmodi cædes non adeo frequenter increbeſcant; tùm enim nihiloſecius priorem pœnam locum habere *(f)* ex presſis verbis conceditur. Poſtremò deſuetudo nullo modo probabit pœnæ crudelitatem aut injuſtitiam, ſed potius, quod propter Jus Aggratiandi ſuperiobus Magiſtratibus competens in pœnam Gladii aut Culei ex mera clementia ſit transmutata.

(*d*) *Ordinat. Crimin. artic. 131.* in verb. initial. ita ſe habet: Welche Weiber ihre Kinder / ſo das Leben oder Gliedmaß empfangen haben / heimlicher / boßhafftiger / williger Weiſe ertödten / die werden gewöhnlich lebendig vergraben und gepfählet. Quo & verba quadrant, quæ extant in artic. 192. Lebendig vergraben und gepfählet werden ſoll. (*e*) Aber darinnen Verzweifelung zu verhüten / mögen dieſelben Ubelthäterin / in welchem Gericht die Beqvämligkeit des Waſſers darzu vorhanden iſt / erträncket werden. Artic. 131. (*f*) Wo aber ſolches Ubel offt geſchehe / wollen wir die gemeldte Gewohnheit des Grabens und Pfälens üm mehr Furcht willen ſolcher boßhafftigen Weiber auch zulaſſen. Art. c. 1.

§. XX.

Hæc ergò ſunt B. L. quæ de Viviſepultura pro conceſſis viribus diſſerere conſtitui. Meo me ingenii modulo metiri non dedidici, itaque politioribus aliorum lucubrationibus palmam non invidebo, nec collocatæ interim operæ me pœnitebit, utut non cujusvis rigidi cen-

ſoris

ſoris palato apta propinaverim. Mihi enim, qui ignotum iter tentare conatus fui, vitio haud vertent benigniores, ſi quam maximè aliqua ex parte ceſpitaverim. Humanum iſtud eſt, humani nihil à me alienum puto. Potius Summo Numini devotiſſimas ago gratias pro præſtito mihi in hoc labore auxilio, illudque ut ſtudiis meis ulterius benedicere velit, ſuppliciter veneror.

S. D. G.

Errata potiora,

quæ fortè irrepſerunt, ſic corrigenda.

Cap. I. §. 2. in not. lin. 16. ſequltus *lege* ſepultus. *§. 4. lin. 2. 3.* contemplabimus *lege* contemplabimur. *Cap. II. §. 2. in not. l. 25.* mrgis *leg.* magis. *§. 4. in not. lit. m.* quoad *lege* quod. *lit. o in fin.* vives *lege* vires. *§. 7. in not. lin. 14.* ſubſtantiæ *lege* ſubſtantiâ. *§. 10. in not. lin. 18.* reddantu *lege* reddantur. *Cap. III. §. 5. in f.* habendum *lege* habendam. *§. 7. in not. lin. 13.* notionum *lege* nationum. *lin. 21.* tranſito *lege* tranſibo. §. *8. in not. lin. penult.* ergo *lege* ego. *Cap. V. §. 4. lin. 5.* deaſtroum *lege* deaſtrorum. *Cap. VI. §. 6. in not. lin. 1.* c. 26. *lege* c. 16.